IN ILLA DEMOSTHENIS ET ÆSCHINIS DE PHILOCRATEA PACE CONTENTIONE UTER UTRUM MELIORIBUS RATIONIBUS IMPUGNARIT,

DISSERTATIO ACADEMICA,

CUJUS PARTEM ALTERAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. UPSAL.

P. P.

EINAR LÖFSTEDT

PHIL. DOCTOR

IN AUDIT. GUSTAV. MINORE A. D. V ID. MAJ. MDCCCLXI.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

TYPIS DESCRIPSERUNT EDQUIST ET SOC.

MDCCCLXI.

VIRO CLARISSIMO

MEDICINÆ DOCTORI ET CHIRURGIÆ MAGISTRO

REGIO ORDINI VASÆ PRÆFECTO

ORDINI REGIS CAROLI XIII ADSCRIPTO

CAROLO DICKSON

Hoc opusculum grato animo dicatum

voluit

AUCTOR.

Quum multis locis Demosthenis dicendi vim et in rebus tractandis artem soleo mirari, tum maxime id mihi usu venit in ea parte orationis de Corona, ubi propter multa et gravia adversarii crimina ei necessarium fuit sua ipsius in rempublicam merita celebrare [1]. Nam quum neque rem silentio praeterire posset, quippe quod documento futurum fuerit, justas fuisse Æschinis criminationes, neque de suis in rempublicam meritis aperte et ingenue loqui ei liceret, ut non in ostentationis vituperationem incurreret [2]; ad se defendendum mediam quandam orationem adhibendam putavit, quae et modestiae commendatione speciem viri a jactatione alieni tueretur, neque ad suas in republica tractanda laudes explicandas non esset accommodata. Quod propositum quanta arte quamque mirabili assecutus sit, ut veteribus jam scriptoribus perspicuum fuit [3], sic nostra aetate

1) Dem. de Cor. §§ 160—252. Dissenius recte de hac orationis parte dixit: Omnino vires suas intendit ars oratoria Demosthenis ad hanc orationis partem quovis modo illustrandam (Dem. Or. de Cor. p. 332).

2) Vide Dem. de Cor. § 4: *ὃ πᾶσιν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἐνοχλεῖ, λοιπὸν ἐμοί. κἂν μὲν εὐλαβούμενος τοῦτο μὴ λέγω τὰ πεπραγμένα ἐμαυτῷ, οὐκ ἔχειν ἀπολύσασθαι τὰ κατηγορημένα δόξω οὐδ' ἐφ' οἷς ἀξιῶ τιμᾶσθαι δεικνύναι· ἐὰν δ' ἐφ' ἃ καὶ πεποίηκα καὶ πεπολίτευμαι βαδίζω, πολλάκις λέγειν ἀναγκασθήσομαι περὶ ἐμαυτοῦ.*

3) Vide Plutarch. de Laude sui c. 9. p. 542, B: *καὶ τοῦτο χρήσιμόν ἐστιν ἐν ἐκείνῳ τῷ λόγῳ καταμαθεῖν, ὅτι μιγνύων ἐμμελέστατα τῷ περὶ αὑτοῦ λόγῳ τὸν περὶ τῶν ἀκουόντων ἔπαινον ἀνεπίφθονον ἐποίει καὶ ἀφίλαυτον.* Cfr verba Hermogenis apud Dissenium l. c. p. 370; Dionys. Hal. de adm. vi dicendi in Dem. c. 31; Quintil. Inst. Or. XI: 3: 168; plura invenies in G. H. Schaeferi Appar. Crit. ad Dem. or. de Cor. § 208 (297: 10).

multi viri, quum in rebus Demosthenicis tractandis versarentur, inter alios illum quoque locum non praetereundum putarunt, quin divinam Demosthenis et dicendi vim et in re tractanda artem praedicarent et exemplis inde sumptis illustrarent [1]).

Instituit autem Demosthenes duplici modo jactationis offensionem in illa orationis parte vitare. Nam praeterquam quod demonstrare studebat, quae in republica secutus esset consilia, ea neque ab institutis praeceptisque majorum abhorruisse [2]), neque cum iis non convenire, quae suae aetatis homines de republica sentirent [3]), posseque se suorum in republica consiliorum socium totum Atheniensium populum proferre [4]); id quoque ad benevolentiam audientium obtinendam magni momenti futurum putabat, si factâ sui ipsius cum Æschine comparatione doceret, etiamsi Æschinem patriae amore longe superasset, nihilominus se in republica bene tuenda numquam habuisse, ultra quo progrederetur, quam ut officia servaret [5]). Tantumque igitur ab-

1) Vide quae Dissenius multis locis disputavit in Explic. Or. de Cor.; Lundii Introduct. in Or. de Cor.; Westermanni adn. ad Dem. de Cor. § 206.

2) Dem. de Cor. §§ 199, 200. Cfr ibid. § 66: *τί τὸν σύμβουλον ἔδει λέγειν ἢ γράφειν τὸν Ἀθήνησιν (καὶ γὰρ τοῦτο πλεῖστον διαφέρει), ὃς συνῄδειν μὲν ἐκ παντὸς τοῦ χρόνου μέχρι τῆς ἡμέρας ἀφ' ἧς αὐτὸς τὸ βῆμα ἀνέβην, ἀεὶ περὶ πρωτείων καὶ τιμῆς καὶ δόξης ἀγωνιζομένην τὴν πατρίδα, καὶ πλείω καὶ χρήματα καὶ σώματα ἀνηλωκυῖαν ὑπὲρ φιλοτιμίας καὶ τῶν πᾶσι συμφερόντων ἢ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὑπὲρ αὑτῶν ἀνηλώκασιν ἕκαστοι;*

3) Dem. de Cor. § 281: *ταὐτὰ γὰρ συμφέρονθ' εἱλόμην τουτοισί, καὶ οὐδὲν ἐξαίρετον οὐδ' ἴδιον πεποίημαι.*

4) Dem. de Cor. § 248; cfr ibid. § 69.

5) Dem. l. c. § 180: *τότε τοίνυν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ὁ Παιανιεὺς ἐγὼ Βάταλος Οἰνομάου τοῦ Κοθωκίδου σοῦ πλείονος ἄξιος ὢν ἐφάνην τῇ πατρίδι. σὺ μέν γε οὐδὲν οὐδαμοῦ χρήσιμος ἦσθα· ἐγὼ δὲ πάντα ὅσα προσῆκε τὸν ἀγαθὸν πολίτην ἔπραττον.* Ibid. § 193: *ὡς οὐ καλὰ καὶ τῆς πόλεως ἄξια πράγματα ἐνεστησάμην καὶ ἀναγκαῖα, ταῦτά μοι*

esse, ut aut nova quaedam et inaudita consilia docuerit, aut suis rebus gestis rempublicam quasi beneficiis obstrictam teneat, ut tantummodo ad populi voluntatem rempublicam administraverit[1]), et, quaecunque gesserit, ea omnia in patriae salutem conferri jus fasque fuerit[2]). Quamquam vel sic negare non poterat magnam se peperisse gloriam. Quare significandum putabat, eam cum multis periculis et miseriis fuisse permixtam[3]); neque se omnino ex his emersurum fuisse, nisi benevolentia Atheniensium fuisset sublevatus[4]); quo factum est, ut et animos audientium sibi con-

---

δεῖξον, καὶ τότ' ἤδη κατηγόρει μου. Ibid. § 220: οὕτως ἐπεπείσμην μέγαν εἶναι τὸν κατειληφότα κίνδυνον τὴν πόλιν ὥστ' οὐκ ἐδόκει μοι χώραν οὐδὲ πρόνοιαν οὐδεμίαν τῆς ἰδίας ἀσφαλείας διδόναι, ἀλλ' ἀγαπητὸν εἶναι εἰ μηδὲν παραλείπων τις ἃ δεῖ πράξειεν.

1) Dem. de Cor. § 206: εἰ μὲν τοίνυν τοῦτ' ἐπεχείρουν λέγειν, ὡς ἐγὼ προήγαγον ὑμᾶς ἄξια τῶν προγόνων φρονεῖν, οὐκ ἔσθ' ὅστις οὐκ ἂν εἰκότως ἐπιτιμήσειέ μοι. νῦν δ' ἐγὼ μὲν ὑμετέρας τὰς τοιαύτας προαιρέσεις ἀποφαίνω, καὶ δείκνυμι ὅτι καὶ πρὸ ἐμοῦ τοῦτ' εἶχε τὸ φρόνημα ἡ πόλις, τῆς μέντοι διακονίας τῆς ἐφ' ἑκάστοις τῶν πεπραγμένων καὶ ἐμαυτῷ μετεῖναί φημι. Cfr ibid. § 220: τί οὖν; εἴποι τις ἄν, σὺ τοσοῦτον ὑπερῆρας ῥώμῃ καὶ τόλμῃ ὥστε πάντα ποιεῖν αὐτός; οὐ ταῦτα λέγω. Hac Demosthenis arte factum est, ut, quae Demostheni crimini dederat Æschines, ea totum Atheniensium populum calumnians dixisse videretur. Vide Dem. de Cor. § 272: σὺ τοίνυν . . . ἐμὲ τὸν παρὰ τουτοισὶ πεπολιτευμένον αἰτιᾷ, καὶ ταῦτ' εἰδὼς ὅτι, καὶ εἰ μὴ τὸ ὅλον, μέρος γ' ἐπιβάλλει τῆς βλασφημίας ἅπασι. Cfr ibid. § 293 extr., et § 207.

2) A. Schaeferus (Dem. u. s. Zeit, III: p. 264): Æschines hat ihn in die Lage gebracht, dass er sein eignes Lob predigen Muss. Aber er thut dies in der Masse dass er zeigt, er habe gethan was die Stellung Athens in Griechenland und die ganze Geschichte der Stadt, was eine heilige Pflicht ihm auferlegte . . . . So ist seine Rede nichts weniger als eine eitele Selbstverherrlichung.

3) Dem. de Cor. § 179: ἔδωκ' ἐμαυτὸν ὑμῖν ἁπλῶς εἰς τοὺς περιεστηκότας τῇ πόλει κινδύνους. Ibid. § 197: ἐγὼ μὲν ἔδωκα ἐμαυτὸν εἰς τὰ πᾶσι δοκοῦντα συμφέρειν, οὐδένα κίνδυνον ὀκνήσας ἴδιον οὐδ' ὑπολογισάμενος.

4) Dem. de Cor. § 249: καὶ μετὰ ταῦτα συστάντων οἷς ἦν ἐπιμελὲς κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, καὶ γραφὰς εὐθύνας εἰσαγγελίας, πάντα ταῦτ' ἐπαγόντων μοι, . . . ἐν τοίνυν τούτοις πᾶσι μάλιστα μὲν διὰ τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ δι' ὑμᾶς καὶ τοὺς ἄλλους Ἀθηναίους ἐσωζόμην.

ciliaret, et corona illa aurea haud indigna laboris merces futura videretur.

Quod si in sua pro omnium salute contentione nonnulla consilia minus prospere successissent, id rerum humanarum imbecillitati esse tribuendum[1]), neque se ideo reprehendendum[2]). Quippe suum fuisse optima quaeque suadere; eventum penes deos fuisse[3]). Praeterea et alias Graeciae civitates, licet libertatis tuendae laborem recusassent, majores quam populum Atheniensium hausisse calamitates[4]); et quod Atheniensibus salutis reliquum fortuna fecisset, id eos possidere virtute et gloria cohonestatum, si quidem more majorum omnia potius subiissent, quam Graeciae defendendae officium desererent[5]). Neque si quis esset, quem cladium acceptarum poeniteret, idcirco minus se esse omni culpa liberandum, quippe quem a salute reipublicae neque suum commodum abstraxisset[6]), neque calumniatorum turba avocasset[7]), neque ullum denique periculum retardasset[8]). Quod

1) Dem. de Cor. § 254, extr.; cfr § 271.

2) Dem. de Cor. § 274: *οὔτ' ἀδικῶν τις οὔτ' ἐξαμαρτάνων, εἰς τὰ πᾶσι δοκοῦντα συμφέρειν ἑαυτὸν δοὺς οὐ κατώρθωσε μεθ' ἁπάντων; οὐκ ὀνειδίζειν οὐδὲ λοιδορεῖσθαι τῷ τοιούτῳ δίκαιον, ἀλλὰ συνάχθεσθαι.*

3) Dem. de Cor. §§ 193, 306. Cfr ibid. § 97: *πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὑτὸν καθείρξας τηρῇ· δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅ τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως.* Praeclare dictum!

4) Dem. de Cor. § 254: *τὸ μὲν τοίνυν προελέσθαι τὰ κάλλιστα καὶ τὸ τῶν οἰηθέντων Ἑλλήνων, εἰ προεῖντο ἡμᾶς, ἐν εὐδαιμονίᾳ διάξειν, αὐτῶν ἄμεινον πράττειν τῆς ἀγαθῆς τύχης τῆς πόλεως εἶναι τίθημι.* Cfr ibid. § 65.

5) Dem. de Cor. § 199. Cfr § 306.

6) Dem. de Cor. § 281: *ταὐτὰ γὰρ συμφέρονθ' εἱλόμην τουτοισί, καὶ οὐδὲν ἐξαίρετον οὐδ' ἴδιον πεποίημαι.*

7) Dem. de Cor. 249: *ἴστε γὰρ δήπου καὶ μέμνησθε ὅτι τοὺς πρώτους χρόνους κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην ἐκρινόμην ἐγώ, καὶ οὔτ' ἀπόνοια Σωσικλέους οὔτε συκοφαντία Φιλοκράτους οὔτε Διώνδου καὶ Μελάντου μανία οὔτ' ἄλλ' οὐδὲν ἀπείρατον ἦν τούτοις κατ' ἐμοῦ.*

8) Dem. de Cor. § 298: *ἐμὲ οὔτε καιρὸς οὔτε φιλανθρωπία λόγων*

quo facilius probetur, interrogat, quaenam ejus sint officia, qui dicendi laude ornatus in republica versetur; his enumeratis deinde comprobat, se neque ullam officii partem deseruisse, et, si rationes reddendae sint, quem quis judicem ferret, neminem, neque Æschinem neque alium quemquam, fugere[1].

Et quae illo loco de oratoris officiis dixit Demosthenes, ei semper spectandum esse, ut initia rerum cernat, quo eventurae sint provideat, idque cives edoceat; ut, quantum possit, civium tollat socordiam, segnitiem, discordiam, quo nihil saepius civitatibus damno esse soleat; idemque ut omnes ad officii tuendi studium excitet; — haec omnia munera haud scio an jam ante pacem Philocrateam pro viribus expleverit Demosthenes. Nam quum vix possit negari, omnium illius aetatis Atheniensium Demosthenem in republica vidisse plurimum, tum in alia quoque re aequales vicerat. Crescente enim in dies Philippo, Demosthenes neque Isocratis auctoritatem secutus erat, qui copiose ille quidem sed non ad efficiendi utilitatem de republica dissere-

---

οὔτ' ἐπαγγελιῶν μέγεθος οὔτ' ἐλπὶς οὔτε φόβος οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ἐπῆρεν οὐδὲ προηγάγετο ὧν ἔκρινα δικαίων καὶ συμφερόντων τῇ πατρίδι οὐδὲν προδοῦναι. Thirlw. Hist. of Greece, VII: 137: He owned, that he had failed; but it was after he had done all that one man in his situation — a citizen of a commonwealth — could do. He had failed in a cause, in which defeat was more glorious than victory in any other, in a struggle not less worthy of Athens than those in which her heroic citizens in past ages had earned their fame.

1) Dem. de Cor. § 246: *ἀλλὰ μὴν ὧν γ' ἂν ὁ ῥήτωρ ὑπεύθυνος εἴη, πᾶσαν ἐξέτασιν λάμβανε· οὐ παραιτοῦμαι. τίνα οὖν ἐστὶ ταῦτα; ἰδεῖν τὰ πράγματα ἀρχόμενα καὶ προαισθέσθαι καὶ προειπεῖν τοῖς ἄλλοις. ταῦτα πέπρακταί μοι. καὶ ἔτι τὰς ἑκασταχοῦ βραδυτῆτας ὄκνους φιλονεικίας, ἃ πολιτικὰ ταῖς πόλεσι πρόσεστιν ἁπάσαις καὶ ἀναγκαῖα ἁμαρτήματα, ταῦθ' ὡς εἰς ἐλάχιστον συστεῖλαι, καὶ τοὐναντίον εἰς ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν καὶ τοῦ τὰ δέοντα ποιεῖν ὁρμὴν προτρέψαι. καὶ ταῦτά μοι πάντα πεποίηται, καὶ οὐδεὶς μή ποθ' εὕρῃ κατ' ἐμὲ οὐδὲν ἐλλειφθέν.*

bat; neque projectâ salutis spe in illa Phocionum morositate et populi tantummodo acerbissime increpandi consuetudine acquieverat; sed vix plus triginta quinque annos natus[1]) suam dicendi artem ex umbraculis rhetorum otioque non modo in solem atque pulverem sed in ipsum discrimen aciemque produxerat[2]). Ipse aurae popularis con-

1) Quonam anno natus sit Demosthenes, non constat. Clinto (Fast. Hell. I: pp. 104, 351) annum a. C. n. 382 (Ol.: 99: 3) indicat. In eadem sententia sunt Groteus (Hist. of Gr. XI: 369) et C. F. Herrmannus (in duobus libris quos nobis non fuit copia videndi; alter de Dem. anno natali inscribitur, alter de Midia Anagyrasio). — Boehnechio (Forsch. I: p. 93) placet, Demosthenem anno a. C. n. 381 (Ol. 99: 4) natum esse. — Repugnat Voemelius, annum a. C. n. 385 (Ol. 98: 4) indicans (in adn. 2 ad Libanii Vit. Dem. § 2; Dem. Or. Phil. Tom. I: ind. rer. p. 271). Idem videtur Westermanno (de Vita Dem. commentatio, p. VI), Thirlwallo (Hist. of Gr. V: 248) et Boeckhio (Staatshaush. d. Ath. I: p. 733, adn. b.) — Nec desunt, quibus annus a. C. n. 384 (Ol. 99: 1) constituendus videatur. Quorum in numero est A. Schaeferus (Dem. u. s. Zeit Vol. III: Beilagen 1 pp. 39—55).

Doctissimorum virorum repugnantiam vides; quae nihil habet, cur mireris. Nam veteres jam scriptores alii alia de Demosthenis anno natali tradiderunt. Vide Boehneckii Forsch. I: pp. 1—3; Westermanni Vit. Dem. p. V; A. Schaeferi Dem. l. c.; Clintonis Fast. Hell. I. append. XX.

2) Groteus (Hist. of Greece, XI: 441) ubi de prima Demosthenis in Philippum oratione disputat quum alia multa, tum haec quoque scripsit: We find Demosthenes, yet only thirty years old — young in political life — taking accurate measure of the political relations between Athens and Philip; examining those relations during the past, pointing out how they become every year more unfavorable, and fortelling the dangerous contingences of the future — —; lastly adventuring to propose specific measure of correction — —. We note his warnings given at this early day, when timely prevention would have been easily practicable; *and his superiority to elder politicians like Eubulus an Phokion*, in prudent appreciation, in foresight and in the courage of speaking out unpalatable truths.

Eodem fere modo Thirlwallus (Hist. of Gr. V: 295): his merit was, that he neither shut his eyes to the danger, nor viewed it with indifference, nor submitted to it in passiv despair; *but set himselv manfully to face it, and to wrestle with it.* This it was that distinguished him not only from the selfish and time-serving orators of his day, but also from men of equal integrity with himself, but who were deficient in this kind of courage.

temptor vitia populi vituperaverat, vituperataque quomodo corrigenda essent, significaverat; pericula non modo multo ante viderat sed etiam remedia eorum docuerat. Populumque alias castigando, alias incitando, semper docendo et ad optima quaeque cohortando, nullâ suae utilitatis habita ratione ita in republica versatus erat, ut veteribus jam scriptoribus haud indignus videretur, qui cum Pericle compararetur[1]). Ad haec in rempublicam merita is quasi cumulus accesserat, quod Demosthenes, quum bellum semper enixe suasisset, tamen, inclinatis in pacem civium animis, minus suarum partium quam reipublicae memor non recusaverat, quominus, quando quidem pax incunda esset, cum iis se conjungeret, qui pacem vellent, si quid in pace concilianda reipublicae prodesse posset[2]). Demostheni cum Philocrate et aliis hominibus, quibuscum neque usu neque iisdem in republica consiliis antea conjunctus erat[3]), hoc modo ortum est quasi quoddam commercium; non quod eandem cum iis de pacis conditionibus sententiam haberet, sed quod in pace concilianda suam operam reipublicae non posse deberi putabat.

Sed quum nobis esset propositum, ut summorum oratorum de Philocratea pace contentionem explicaremus, in superiore libro scripsimus de prima ad Philippum legatione, ejusque renuntiatione coram populo; quare nunc ad expli-

1) Schol. ad Dem. or. de Pace, § 12 (60: 1: p. 162 vol. VIII ed. Ddrf.): *ποιεῖται σύστασιν τοῦ οἰκείου προσώπου, ὁποίαν ὁ ῥήτωρ ὁ Περικλῆς . . . ποιεῖται, ὅτι καθαρὸς παντὸς λήμματος καὶ ἀδωροδοκήτως δημηγορεῖ, καὶ διὰ τοῦτο τὸν λόγον ἐλεύθερον ἔχει, ἐνδεικνύμενος ὅτι πανταχοῦ τὸ τῆς πόλεως συμφέρον βούλεται, οὐ πρὸς ἀπέχθειαν οὐ προς χάριν βλέπων.* Cfr quae A. Schaeferus, ab hoc scholio profectus, ornatissime disputat de Demosthene et Pericle inter se comparatis (Dem. u. s. Z. II: 286, 287).

2) Cfr Schaef. Dem. II: 199, 200.

3) Schaef. l. c.; Thirlw. V: 336, extr.

canda ea, quae postea gesta sunt, omnem disputationem transferemus, quo appareat, de his quoque uter utrum justius impugnaverit. Tamen haec de Demosthene in initio hujus libri paucis monuisse, haud alienum futurum putavi, quum praesertim viderem, in lite Ctesiphontea Æschinem de Demosthenis cum Philocrate societate crimina attulisse falsa illa quidem sed speciosa, et quibus facile quis adduci posset, ut fidem Æschini tribuendam esse censeret. Nunc ad propositum redeo; et primum de decreto sociorum disputandum est; deinde in duabus illis concionibus, de quibus in superiore libro mentionem feci, quomodo uterque orator se gesserit, exponam; post de Cersoblepte nonnulla dicenda sunt; tum ad extremum res Phocensium attingam; nam ex his quattuor rebus, quasi e totidem fontibus, alterius oratoris in alterum criminatio manavit.

I.

In prima ad Philippum legatione una cum nuntiis Atheniensium Aglaocreontem nomine sociorum missum fuisse, ex Æschinis oratione de F. L. videre licet [1]). Is quum Athenas redux in conventu sociorum legationem renuntiasset, illi quid de pacis constituendae ratione sentirent, decreto quodam declararunt, quod, *ΔΟΓΜΑ ΣΥΝΕΔΡΩΝ* appellatum [2]) et ab Æschine alias aliter recitatum, dici vix

1) Æsch. F. L. § 20.

2) Athenienses, clade apud Ægos flumen accepta, omnes socios amiserunt (Boeckh. Staatsh. I: 546). Tamen decem fere annis post, pugna apud Cnidum pugnata, multarum civitatum societate firmata est respublica (Dinarch. in Dem. § 14; Boeckh. l. c.). Pace Antalcidea denuo omnibus sociis, praeter Imbrum, Lemnum et Scyrum, Athenienses privati sunt Xen. Hell. V: I: 31). Archonte demum Nausinico nova quaedam Atheniensium cum multis civitatibus societas facta est (a. C. n. 378; Clint. Fast. Hell. conv. Krueg. s. Ol. 100: 3). Hanc societatem aequioribus legibus, quam pristinam illam, initam fuisse, e titulo quodam Attico,

potest quantam inter doctissimos homines excitaverit sententiarum discrepantiam. Hujus decreti quum Demosthenes non nisi obiter mentionem faciat, una nobis via relinquitur in hac re gravissima tractanda; Æschinem auctorem haud gravissimum caute audiamus necesse est. Is igitur haec in decreto scripta fuisse indicat: *quoniam populus Atheniensium de pace cum Philippo facienda deliberaret, nondum vero adessent legati a populo missi, qui Graecas civitates ad communem libertatem tuendam cohortarentur: placere sociis, ubi rediissent legati et ad populum sociosque legationem renuntiassent, tum uti prytanes duas con-*

Athenis nuper reperto et ab Eustratiade primum a. 1851 Athenis edito, videre licet. Convenit enim, ut unaquaeque civitas libera suaeque potestatis esset, et quamcumque optimam putaret civitatis formam, ea uteretur (*ἐξεῖναι α[ὐτ]ῷ [ἐλευθέρ]ῳ ὄντι καὶ αὐτονόμῳ πολιτ[ευομέν]ῳ πολιτείαν ἣν ἂν βούληται.* Titul. Attic. ed. et explic. A. Schaeferus, Grimae 1856, in sua de sociis Atheniensium Commentatione). Id quoque sancitum est, ne quis Atheniensium extra Atticam agrum possideret (*μὴ ἐξεῖναι μήτε ἰδίᾳ μήτε δημοσ[ί]ᾳ Ἀθηναίων μηθενὶ ἐγκτήσασθαι ἐν τ[αῖ]ς τῶν συμμάχων χώραις μήτε οἰκίαν μ[ή]τε χωρίον.* Schaef. l. c.; cfr Boeckh. Nachträge zur Staatshaush. p. XX); quo factum est, ut funditus tollerentur illae Atheniensium *κληρουχίαι* (Diod. Sic. XV: 29), de quibus copiose disputavit Boeckh. Staatshaush. I: 555, sq. Convenienter his legibus pristinum illud et invidiosum *φόρου* nomen abolitum est, et tributa sociorum ad invidiam evitandam *συντάξεις* vocabantur (Boeckh. St. I: 550). Hoc nomen a Callistrato inventum esse, docuit Harpocratio, Theopompum secutus, s. v. *σύνταξις*.

E singularum civitatum legatis concilium quoddam (*συνέδριον*) Athenis erat constitutum; ipsi *σύνεδροι* vocabantur, iisque erat injunctum, ut nomine sociorum de majoris momenti rebus deliberarent, et quid sentirent, populo Atheniensium declararent (Diod. Sic. XV: 28). Tum populi erat, audita sociorum sententia, iisdem de rebus decernere (Æsch. F. L. § 60). Haec deliberandi et decernendi ratio Demosthenis quoque aetate tenuit, licet tum in nonnullis rebus aliquantum commutata fuerit sociorum conditio; de quo vide Boeckh. St. I: 551, sq., et Schaef. Dem. u. s. Z. I: 145, 151; cfr Dem. Phil. I. §§ 24, 45. — Nostrum igitur *δόγμα συμμ.* vel *συνέδρ.* est auctoritas quaedam, a legatis sociorum Athenis commorantibus scripta; quae comprobanda an improbanda esset, populi erat decernere.

ciones secundum leges edicerent, in quibus esset de pace deliberandum. Quidquid autem decrevisset populus, id commune sociorum quoque decretum futurum. Ea vero lege esse pacem sanciendam, ut ceteris Graeciae civitatibus in tribus proximis mensibus liceret in eandem cum Atheniensibus columnam, si vellent, referri, ut in pacis communionem reciperentur[1]. Hoc decreto pro argumento usus demonstrare conatur Æschines, esse duplici de causa Demosthenem reprehendendum, quod et foedus cum Philippo sanciendum curaverit contra sententiam sociorum, qui de pace tantum, non de foedere, ad populum retulissent, et prohibuerit quominus ad ceteras Graeciae civitates illa pax pertineret[2].

1) Æsch. F. L. § 60. Quamquam in illa oratione non commemoravit, socios de trium mensium spatio ceteris civitatibus largiendo quidquam scripsisse; sed id quoque socios suasisse, in oratione Ctesiphontea diserte confirmavit (in Ctes. § 70: *προσέγραψαν ἐν τῷ δόγματι ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων ἐν τρισὶ μησὶν εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγρᾶφθαι μετ᾽ Ἀθηναίων καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνθηκῶν*). Cur de hac re nihil in or. F. L. dixerit Æschines, satis explicavit A. Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: 204).

Non modo de trium mensium spatio sed etiam de alia re Æschines alias aliter locutus est. Nam quum in or. F. L. affirmasset, socios de exspectandis Atheniensium legatis tulisse, tamen in lite Ctesiphontea non affirmavit, socios quidquam de hac re tulisse. Quae quum videret Boehneckius, putavit, duo decreta scripsisse socios: unum de legatis Atheniensium exspectandis; alterum de trium mensium spatio ceteris civitatibus pacis communicandae caussa prorogando; illud in or. F. L. recitasse Æschinem, hoc in or. in Ctes. protulisse. Vide Boehn. Forsch. I: 391, 392; assentitur Lachmannus (Gesch. Griech. II: 94, 95). At tantummodo unum decretum socios scripsisse, verborumque discrepantiam Æschinis interpolandi consuetudini esse tribuendam, unicuique apparebit, qui librum A. Schaeferi adierit (Dem. u. s. Z. II: 204). In eadem cum Schaefero sententia sunt Groteus (XI: 540), Brücknerus (Kön. Phil. p. 163), Thirlwallus (V: 351), Frankius (Prolegg. p. 23), Winiewskius (Comment. p. 76), Westermannus (Quaest. Dem. III: 40).

2) Æsch. F. L. § 61; in Ctes. 69, 70. Cfr ibid. § 58.

Sed antequam ad illam orationem venio, quae in his criminationibus examinandis versatur, videntur ea mihi esse refutanda, quae a nonnullis allata sunt, quum hoc decretum in disceptationem vocarent. Negant fuisse sociis ad populum ferendi potestatem[1]). In qua tandem civitate hac potestate socios caruisse dicunt? Nempe in ea, ubi si de quadam magni momenti re deliberaretur, eam fuisse rei tractandae rationem constat, ut socii, cognita senatus auctoritate, quid sentirent ea de re, populo indicarent[2]). Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, quod apud Frankium scriptum invenio[3]), non fuisse sociis permissum, ut etiam edicerent, quot essent conciones habendae, tametsi moris fuerit, ut de gravioribus rebus suum decretum populo traderent. Quod non est ita, beneque est memoria tenendum, socios hac re suadenda nihil aliud quam tulisse, ut populus eam in re gravissima sequeretur deliberandi rationem, quae jamdiu recepta esset more institutoque majorum[4]). Nam quid dicam de iis, qui putant, inesse in hoc decreto insolentius quoddam dicendi genus et arrogantius, quam quo socii uti potuerint? Cujus rei facilis et prompta est responsio; socii enim in decreto illo declarant, quidquid populus more legibus constituto statuerit, id sese ratum habituros, omniumque rerum arbitrium ita populo

---

1) Thirlw. V: 351, 352: "The great difficulty lies in the fact, that the congress did make one or other of these propositions." Rogationem sociorum paullo post appellat "an extraordinary activity of an assembly, which appears in this instance to be moving out of its sphere."

2) Cfr p. 8, adn. 2; Schaef. Dem. I: 26, II: 207; Boeckh. Corp. Inscript. I: 897; Franz. Elemm. epigr. 166; Frank. Prolegg. 23.

3) Cfr Frankii Prolegg. p. 23; Westermanni Quaest. Dem. III: p. 40.

4) Cfr Thuk. I: 44; Grot. XI: 540: It seems to have been a common practice with the Athaenians about peace or other special and important matters, to convene two assemblies on two days immediately succeding.

permittunt; quo vix quidquam cogitari potest verecundius aut modestius [1]).

Ergo hoc quidem apparet, eam fuisse sociorum conditionem, ut quid sentirent de modo pacis constituendae, suo jure populo declarare possent; sed quaenam senserint socii, vel, quod idem valet, quid in decreto illo scriptum fuerit, id nunc videndum est; Æschinem enim de hac re sibi non constare, jam ante ostendimus [2]). Id quidem unicuique patet, non esse de duabus illis concionibus commendatis dubitandum; neque illud ad intelligendum facile non est, tulisse socios de trium mensium tempore ceterarum civitatum nomine postulando. Sed num illud quoque suaserint socii, ut expectaretur dum redirent Atheniensium legati, neve de pace deliberaretur, priusquam rediissent illi legati, id potest in dubium vocari [3]).

---

1) Cfr Grot. XI: 540, 541; Schaef. Dem. II: 207.

2) Vide p. 10, adn. 1.

3) Æschines haec *omnia* in decreto scripta fuisse indicat: *ἐπειδὴ βουλεύεται ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ὑπὲρ εἰρήνης πρὸς Φίλιππον, οἱ δὲ πρέσβεις οὔπω πάρεισιν,* [*οὓς ἐξέπεμψεν ὁ δῆμος εἰς τὴν Ἑλλάδα, παρακαλῶν τὰς πόλεις ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν Ἑλλήνων*] *δεδόχθαι τοῖς συμμάχοις, ἐπειδὰν ἐπιδημήσωσιν οἱ πρέσβεις* [*καὶ τὰς πρεσβείας ἀπαγγείλωσιν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις*], *προγράψαι τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίας δύο κατὰ τὸν νόμον, ἐν δὲ ταύταις βουλεύσασθαι περὶ τῆς εἰρήνης Ἀθηναίους· ὅτι δ' ἂν βουλεύσηται ὁ δῆμος, τοῦτ' εἶναι κοινὸν δόγμα τῶν συμμάχων* (Æsch. F. L. § 60). *ἐξεῖναι δὲ τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων ἐν τρισὶ μησὶν εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγράφθαι μετ' Ἀθηναίων καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνθηκῶν* (Æsch. in Ctes. § 70). Non desunt, quibus haec omnia in decreto sociorum scripta fuisse videantur. Nos commonstrabimus (quantum quidem in tanta rerum obscuritate id fieri potest), nihil tulisse socios de exspectandis iis legatis, qui ab Atheniensibus ad ceteras civitates contra Philippum evocandas missi erant; illosque legatos jam multo ante, quam socii decretum scriberent, Athenas rediisse. Quod si jam rediissent, socios non tulisse, ut exspectaretur, dum redirent, Æschinemque decretum sociorum interpolasse, unusquisque intelliget. His demonstratis, in adnotationibus significabimus, *quomodo* decretum interpolaverit Æschines.

Et adhuc quidem ita nobis progressa oratio est, ut, quum varia essent scriptorum judicia, de unaquaque re tamen aliquid pro certo affirmare possemus; nunc ea res nobis explicanda est, quâ vix ulla magis impedita et involuta excogitari possit; si quidem Demosthenes, quae scripta fuerint in decreto sociorum, non diserte dixit, et Æschines alias aliter de hac re commemorat, ita ut quaenam credenda sint, quaenam repudianda, inter doctissimos viros non constet. Quare id disputandi genus hic adhibendum putamus, quod in illorum virorum sententiis inter se comparandis et perpendendis versatur; quo facilius, quum quaenam sententia vera sit, statuere vix liceat, id saltem assequamur, ut, quid ad veri similitudinem proxime accedat, possit conjectura judicari.

Una est sententia eorum, quibus placet, ea omnia in decreto scripta fuisse, quae diceret Æschines, sociosque tulisse et de exspectandis legatis Atheniensium, ad alias Graeciae civitates contra Philippum evocandas missis, et de duabus concionibus, et de trium mensium tempore ceteris Graeciae civitatibus ad pacem communicandam prorogando. Hanc sententiam quum alii multi probarunt, tum eandem defendit etiam in optimo illo libro, qui History of Greece inscribitur, auctor gravissimus Groteus; qui quum longe maxima cura ac diligentia rem tractaverit, satis erit ad vim totius hujus sententiae examinandam, quae pluribus verbis persecutus est doctissimus vir, ea summatim exposita accuratissime examinare, quibusque argumentis illa sententia niti videatur, quamque firmis, id considerare diligenter.

His fere argumentis firmari videtur oratio eorum, qui in illa sunt sententia: id quidem constat, populum Atheniensium legatos misisse, qui ceteras Graeciae civitates cohortarentur, ut ad libertatem totius Graeciae contra Phi-

lippum defendendam aut arma cum Atheniensibus consociarent, aut una cum Atheniensibus pacem cum Philippo faciendam curarent. Nam in tanta de aliis rebus discrepantia, Æschines et Demosthenes de hac re consentiunt [1]. Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: num hi legati Athenas reduces fuerint, quum socii de pace consulerent. Negat Æschines ullos tum reduces fuisse legatos; sed horum legatorum adventum Athenienses illo ipso tempore exspectasse pro certo affirmat [2]. Demosthenes con-

---

1) Dem. F. L. § 10: (*Αἰσχίνης*) *πείσας ὑμᾶς πανταχοῖ πρέσβεις πέμψαι τοὺς συνάξοντας δεῦρο τοὺς βουλευσομένους περὶ τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου.* Ibid. § 304: *τίς ὁ πείσας ὑμᾶς μόνον οὐκ ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν πρεσβείας πέμπειν, ὡς ἐπιβουλευομένης μὲν ὑπὸ Φιλίππου τῆς Ἑλλάδος, ὑμῖν δὲ προσῆκον προορᾶν ταῦτα καὶ μὴ προΐεσθαι τὰ τῶν Ἑλλήνων; οὐχ ὁ Αἰσχίνης οὑτοσί;* — Æsch. in Ctes. § 58: *τὰς πρεσβείας, ἃς ἦτε ἐκπεπομφότες κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν εἰς τὴν Ἑλλάδα, παρακαλοῦντες ἐπὶ Φίλιππον.* Æsch. F. L. § 57: *οἱ Ἕλληνες μεταπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου, ἵνα κοινῇ καὶ πολεμοῖεν, εἰ δέοι, Φιλίππῳ μετὰ Ἀθηναίων, καὶ τῆς εἰρήνης, εἰ τοῦτο εἶναι δοκοίη συμφέρον, μετέχοιεν.* Consideres velim, numquam Demosthenem dixisse, illam legationem ad belli *pacisque* communionem spectasse; Æschinemque uno tantummodo loco (or. F. L. l. c.) id diserte dixisse; ubi Æschinem vero non stetisse, paullo post demonstrabimus. Hic caussae cardo versatur! Nam si demonstravero, illam legationem, ad ceteras Graeciae civitates missam, non ad belli *pacisque* communionem evocasse, sed tantummodo ad *bellum* communiter gerendum incitasse, hac de caussa unicuique manifestum fiet, socios nihil tulisse de exspectandis legatis Atheniensium, ad pacis communionem invitaturis, (quum nulli ejusmodi legati ad alias civitates missi essent); Æschinemque decretum soc. interpolasse. De alia argumentandi ratione, quâ idem effici possit, vide p. 12, adn. 3.

2) Æsch. F. L. §§ 58, 59, 60; cfr § 62: (*οἱ σύμμαχοι*) *ἀπεφήναντο ἀναμεῖναι τὴν πόλιν τὰς Ἑλληνικὰς πρεσβείας, Δημοσθένης δὲ οὐ λόγῳ μόνον κεκώλυκε περιμεῖναι, ὁ πάντων αἴσχιστα καὶ τάχιστα μετατιθέμενος, ἀλλ' ἔργῳ καὶ ψηφίσματι, προστάξας ἤδη βεβουλεῦσθαι.* Æsch. in Ctes. §§ 58, 64; cfr ibid. s. 68: *μετὰ δὲ ταῦτα, ὦ Ἀθηναῖοι, ἧκον οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις· οἱ δὲ ὑμέτεροι ἀπεδήμουν παρακαλοῦντες τοὺς Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον.* His locis Æschines declaratum vult: "quum de pace deliberabatur, nulli ceterarum civitatum legati aderant; — *nam nondum redierant nostri legati*, ad ceteras civitates cohortandas missi. *At exspe-*

tra negat, ullos tum non reduces fuisse Atheniensium legatos; rediisse irrito incepto omnes, ceteris Graeciae civitatibus ad communem salutem defendendam frustra evocatis[1]). In quo videndum est, ne parum veritatis fidem servarit Demosthenes. Nam quum per se minus sit consentaneum, illam totius Graeciae convocationem, ab Atheniensibus factam, ad irritum cecidisse ita ut ne una quidem civitas Athenienses ad commune periculum propulsandum cohortantes audiverit[2]), tum ex alio quodam Demosthenis loco colligere licet, quum de pace deliberaretur, nonnullos Atheniensium legatos, re prospere gesta, reduces fuisse cum viris, deliberandi causa publica auctoritate missis ab iis civitatibus, quas illi ipsi Atheniensium legati ad communem salutem defendendam paratas invenissent[3]). Quare quum

---

ctandum fuit, dum redirent nostri legati, secum habentes legatos qui, a civitatibus ad Graeciam defendendam paratis missi, una cum Atheniensibus deliberarent, utrum pax ineunda esset communiter, an bellum conjunctis viribus persequendum. Hoc prohibuit Demosthenes, quippe qui suaserit, ut sine ulla mora de pace deliberaretur; idcirco reprehendendus est." Alii tamen apud Æschinem loci cum his pugnare videntur; de qua re paullo post disputabo.

1) Dem. de Cor. § 23: *οὔτε γὰρ ἦν πρεσβεία πρὸς οὐδένα ἀπεσταλμένη τότε τῶν Ἑλλήνων, ἀλλὰ πάλαι πάντες ἦσαν ἐξεληλεγμένοι.*

2) Grot. XI: 540: That among many Athenian envoys sent out, *all* shouldfail — appears to me very improbable. At e locis quibusdam et Demosthenis et ipsius Æschinis id manifestum fit. Vide Æsch. F. L. § 79; Dem. de Cor. §§ 23, 24; cfr ibid. § 20. Cfr nostr. adn. prox.

3) Dem. F. L. § 16: *καὶ ταῦθ' ὁ σχέτλιος καὶ ἀναιδὴς οὗτος ἐτόλμα λέγειν ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων καὶ ἀκουόντων, οὓς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων μετεπέμψασθε ὑπὸ τούτου πεισθέντες, ὅτ' οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν.* De hoc loco, a Groteo et qui illum secuti sunt pro argumento adhibito, mox uberius disputabo. Hic satis erit monuisse, vix ullam esse in hoc testimonio auctoritatem, quippe quod non modo repugnet cum Æschinis de hac re testimonio, sed etiam ab iis abhorreat, quae Demosthenes aliis locis eadem de re commemoraverit. Vide enim Æsch. F. L. S. 79, et Dem. de Cor. §§ 20, 23: invenies utrumque oratorem confirmantem, illam legationem frustra cecidisse, nullamque Graeciae civitatem res Atheniensium curasse.

Demosthenes nonnullos legatos tum Athenis adfuisse affirmet, neque Æschines probare possit omnes tum ab urbe ab-

---

Quamquam hoc non confessus est Æschines nisi coactus a Demosthene. Dixerat enim Demosthenes: "Quis vestrum est, Athaenienses, quin videat, Æschinem a Philippo corruptum esse! Nam qui ante pacem factam Graecos adhortatus erat, ut Philippum caverent, et qui in priore concione, quum de pace deliberabatur, Athenienses monuerat, ut omnia potius paterentur, quam pacem, uti rogasset Philocrates, inirent, idem iste in altera de pace concione omni vi suasit, ut pacem facerent e Philippi voluntate et uti rogasset Philocrates. Unde ista sententiae mutatio? Nempe quod corruptus fuit!" (Dem. F. L. §§ 9—16). Ad haec Æschines sui purgundi caussa respondit: "Sententiam mutavi, et pacem uti vellet Philippus faciendam esse dixi, non quod corruptus essem, sed quod destituta erat respublica, nulla civitate pericula nostra curante" (Æsch. F. L. § 79). Videsne hic Æschinem una cum Demosthene (de Cor. §§ 20, 23) confirmantem, nullam fuisse civitatem, cui tum res Atheniensium cordi essent, vel quae tum legatos Athenas misisset, qui una cum Atheniensibus de pace belloque deliberarent? Quod si ita est, nullam probandi vim habet ille Demosthenis locus (F. L. § 16) a Groteo pro argumento allatus, quippe ubi Demosthenes et cum Æschine et cum se ipso pugnet. Haec hactenus; uberiora paullo post invenies.

Unum est, quod addendum putem. Velim enim consideres Æschinem hoc loco (F. L. § 79; et quidem una cum Dem. de Cor. § 23) declaratum voluisse: "quum de pace deliberabatur, nulli aderant ceterarum civitatum legati; *nam jamdiu redierant nostri legati, opera in cohortandis civitatibus frustra consumpta.* Hoc non diserte dixit Æschines l. c. (F. L. § 79), sed ex Æschinis verbis efficitur; nam primum dixit: οὐδενὸς — ἐπικουροῦντος τῇ πόλει — ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ διαλύσασθαι πρὸς Φίλιππον καὶ τὴν εἰρήνην ποιεῖσθαι. Quomodo tum potuit Æschines scire, nullam civitatem ad opem Atheniensibus ferendam fuisse paratam, nisi legati Atheniensium, ad id explorandum missi, jam rediissent et de hac re nuntiassent? Deinde et ex Æschinis et e Demosthenis orationibus (Æsch. F. L. § 79; Dem. F. L. § 10) manifestum fit, Æschinem illi legationi interfuisse; at quum de pace deliberabatur, Æschines non modo ex illa legatione redierat, sed etiam alia quadam in Macedoniam perfunctus erat! Hoc quid significat, nisi tum, quum de pace deliberaretur, jam rediisse illos legatos, ad ceteras Graeciae civitates missos?

Duas res nunc mihi videor jure posse affirmare: 1) nulli ceterarum civitatum legati Athenis aderant, quum de pace deliberabatur, neque audiendus est Æschines quum dicit: "at venturi erant una cum nostris legatis, ad civitates evocandas missis, quorum reditus exspectandus fuit" (vide p. 14, adn. 2); nam 2) illi Atheniensium legati infecta re jam redierant!

fuisse, probabile est, qui medium quendam inter verba oratorum pugnantia tenuerit cursum, eum a vero proxime abfuturum. Sequitur igitur, quum de pace Athenis deliberaretur quumque jam rediissent legatorum nonnulli, alios tamen, in civitatibus cohortandis etiamtum occupatos, Athenis nondum adfuisse[1]; in quo eo minus est quod miremur, quum facile fieri potuerit, ut quibusdam legatis adeundae essent complures civitates, aliae ab aliis satis magno spatio disjunctae[2]. Hi quid domum reduces renuntiaturi essent, et ecquae essent civitates, quae pericula Atheniensium a se non aliena putarent, magna erat omnium exspectatio; quippe; nam ex iis, quae de voluntatibus civitatum renuntiaturi erant legati, tota pendebat Atheniensium de bello et pace deliberatio. Hoc rerum statu scriptum est sociorum illud de legatis exspectandis decretum; in quo

1) Grot. XI: 540: "It seems to me reasonable here to believe the assertion of Demosthenes that there were envoys from other Grecian cities present; *although* he himself in his later oration (§§ 20, 23) speaks as if such were not the fact, *as if all the Greeks had been long found out as recreants in the cause of liberty, and as if no envoys from Athens were then absent on mission.*" At non modo Demosthenes hoc confirmat; ex ipsius Æschinis verbis (or. f. l. § 79; cfr pag. 16, adn.) idem efficitur! Alio quoque loco negat Æschines, et quidem vehementissime, ullos tum Athenis adfuisse ceterarum civitatum legatos (Æsch. F. L. § 59). "Ne vivam", inquit, "si ulli ceterarum civitatum legati tum Athenis aderant!" — Groteus (l. c.) pergit: "I accept the *positive* assertion of Æschines as true — that there were Athenian envoys then absent on mission, who might probably, on their return, bring in with them deputies from other Greeks; but I do not admit his *negative* assertion, that no Athenian envoys had returned, and that no deputies had come in from other Greeks. — — We suppose *some* of the envoys sent out on mission, and *not* all of them, to be absent.

2) Stechow. (vita Æschinis, p. 41) scripsit: "Neque adeo offendat nos, post tam longum tempus legatos non revertisse, cum *ponamus (!)*. legationes esse emissas . . . ita, ut iidem legati in complures civitates subinde profecti sint." Grot. XI: 538: the same individuals having *perhaps (!)* been sent to different places at some distance from each other.

nihil est quod offendas. An potest quicquam cogitari illi rerum conditioni magis aptum consentaneumque quam consilium a sociis captum? Qui quum probe viderent, futurum esse, ut Athenienses eam deliberandi rationem inirent, quae esset ad renuntiationes legatorum accommodata, temporibus serviendum putantes, tulerunt, ut differretur tota res, donec illi legati domum rediissent.

Huic sententiae quot quantaque obstare mihi videantur argumenta, mox afferam; sed fac sane vera esse ea, quae illi disputant: continuone reprehendendus est Demosthenes, quem omni opera enixum esse, ut pax sine mora fieret, pro vero constat?[1]) Ad hanc controversiam dijudicandam — in contrarias enim sententias discedunt doctissimi viri[2]) — aptum erit, quo loco tum fuerint Atheniensium res, in memoriam revocasse, quo facilius intelligatur, prudentissimum quemque et patriae amantissimum quaenam de pace consilia sequi oportuerit.

---

1) Rogaverat enim Demosthenes, ut, simulatque venissent legati Philippi, duae conciones haberentur, in quibus de pace deliberaretur. Vide hujus libri partem priorem pag. 26; cfr Æsch. F. L. § 61; in Ctes. § 68.

2) Boeneckius (Forschungen, I: p. 392) ita disputat: "Non injuria Æschines Demostheni exprobrat, quod — non exspectato legatorum reditu pacem acceleraverit, quae si in communi ceterorum Graecorum conventu facta esset, magis Atheniensium utilitati convenisset." Cfr Æsch. in Ctes. § 58. — Groteus contra (XI: 545): "Even if postponement could have been had, it would have been productive of no benefit, nor of any increase of force, to Athens, since the Greeks were not inclined to cooperate whith her." Assentior; nam omni auxilio tum orbatam fuisse Atheniensium civitatem Demosthenes confirmat (de Cor. § 23); et Æschines, quum diceret (in Ctes. § 58): *'Υμῖν γὰρ ἐξεγένετ' ἂν τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι μετὰ κοινοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλήνων . . . καὶ . . . παρ' ἑκόντων τῶν Ἑλλήνων ἀπολαβεῖν τὴν ἡγεμονίαν*, id oblitus erat, quod in or. F. L., § 79, dixerat: *οὐδενὸς δ' ἀνθρώπων ἐπικουροῦντος τῇ πόλει, ἀλλὰ τῶν μὲν περιορώντων ὅ, τι συμβήσεται, τῶν δὲ συνεπιστρατευόντων* et quae sequuntur; — mendacem oportet esse memorem! De alia quadam caussa, cur non audiendi fuerint socii, si quid de rebus differendis et legatis exspectandis tulissent, vide Grot. XI: 543.

Athenienses, quae est temeritas popularium civitatum, quum spem pacis a Philippo impetrandae nacti essent, ab armis recessisse, neque satis diligenter quae ad bellum pertinerent providisse, cognitum est[1]). Philippus vero, cessantibus Atheniensibus, in bello apparando acerrime erat occupatus; quare, nisi aut fortiter repugnarent Athenienses aut pacem sine mora inirent, periculum erat, ne quaecunque oblata esset damni inferendi occasio, eam pro sua consuetudine avidissime amplecteretur. Neque deerant occasiones. Chersonesus enim, defensoribus nudata, in dies erat infestior[2]); quae quum esset quasi quaedam janua ejus regionis, unde maxima frumenti vis populo Atheniensium quotannis subvehi solebat, Pontum dico[3]), non erat dubium, quin, si in potestatem Philippi venisset, omnis fortuna reipublicae dijudicata esset futura. Halum autem Thessaliae urbem Parmenio illo ipso tempore obsidebat; neque, si expugnata esset, facile non erat videre quanta rebus Philippi allatura esset incrementa[4]). Quid? rex Thraciae, Cersobleptes, ad quem debellandum legati in primo itinere viderant Philippum omni studio sese parantem[5]), num aut auxilii

1) Dem. de Cor. § 26; Schaef. Dem. u. s. Z. II: 177.

2) Quam infesta fuerit Chersonesus, id ex Æsch. F. L. § 72 videre licet; Athenis multi putabant, Philippum eam armis invasurum esse; vide Æsch. F. L. § 73. — Cfr Thirlw. V: 334, 354; Grot. XI: 508; Winiewsk. Comment. p. 72.

3) Tantam fuisse illius regionis fecunditatem, ut agri, etiamsi non bene colerentur, tricies tantum, quantum satum esset, efferrent, commemoravit Strabo (VII: 311). — Ad rem frumentariam quanti Atheniensium interfuerit Chersonesum tenere, e Demosthenis orat. in Lept. § 31 videre licet. Cfr Westermanni adn. ibid. — De re frumentaria Atheniensium copiose disputavit Boeckhius (Staatshaush. d. Ath. I: 108 sq.).

4) Illam urbem societate fuisse cum Atheniensibus conjunctam, constat. Vide Schol. ad Dem. F. L. § 36 (352: 17; pag. 359, ed. Ddfii); Boehn. Forsch. I: 386; Thirlw. Hist. of Gr. V: 342.

5) Æsch. in Ctes. § 65: *παρηγγέλλετο δ' ἐπ' αὐτὸν* (*Κερσοβλέπτην*) *ἤδη στρατεία*. Æsch. F. L. § 82: *συνέβαινε δ', ὅτε τὴν προτέραν ἐπρε-*

aut omnino salutis quicquam sperare poterat, nisi Athenienses nulla mora interposita pacem facerent, darentque operam, ille ut pacis foederi adscriberetur? An parum is erat auxilio dignus, cujus regnum erat quasi quoddam propugnaculum Chersonesi adversus Philippum?[1]) Quid? quod illa praesidiorum Atheniensium multitudo, a Charete, duce Atheniensium, paulo ante in Thracia ad urbes maritimas firmandas relicta[2]), summo in discrimine versabatur, Philippo jam ad Thraciam subigendam profecto, quo tandem animo ferendum fuisse putas? Nimirum cunctationem non recipiebat res, officiumque prudentissimi cujusque erat summo studio anniti, ut impediretur Philippus, quominus cum incommodo Atheniensium suas res augeret? Quod quum non vi atque armis effici populo placeret, relinquebatur, ut pax cum Philippo iniretur, antequam ille vel Chersonesum Halumque expugnaret, vel Thraciam in ditionem suam redigeret. Quare etiamsi socii suaserint, ut integra relinqueretur res et in incertum differretur, tantum abest ut reprehendendus mihi videatur Demosthenes, ut haud sciam an laudandus sit, quippe qui non dubitaverit semetipsum invidiae periculo committere, dummodo temeraria sociorum consilia impediret.

His igitur expositis satis intellectum puto, etiamsi recte judicarent illi de decreto sociorum, abesse a temeritatis vituperatione Demosthenem; nunc quam a verisimilitudine abhorreat tota illorum virorum sententia explicandum est. Atque ea, quae hujus sententiae consequentia sunt, quomodo fidem excedant quis est qui non videat? Fuisse tanta per-

---

σβεύομεν πρεσβείαν, ἐμοὶ μὲν μετὰ τῶν συμπρέσβεων ἀπιέναι δεῦρο, Φιλίππῳ δ' ἐπὶ Θράκην ἐξιέναι.

1) Thirlw. V: 339; Schaef. Dem. u s. Z. II: 225; Lund. Demosthenes' Filippiske Taler, p. 22; Dem. F. L. § 180.

2) Dem. Or. Phil. III: § 15, cum adn. Frankii in libro qui inscribitur: Demosthenis orationes Philippicae Novem (Lips. 1850).

versitate socios, ut in illa, de qua diximus, rerum conditione commendarent gravissimarum rerum dilationem, quis credat? Fuerint sane sociorum nonnulli rerum, quae ad rempublicam tractandam pertinerent, gerendarum imperiti! Assentior. Multi quinam tum esset rerum status satis diligenter ne consideraverint! Non repugno. Id vero prorsus a fide abhorret, in toto sociorum concilio ne unum quidem virum fuisse tam acri ingenio, ut ipse videret et ceteros doceret, quantum in discrimen adducturi essent rempublicam, si temporum obliti in medio ardore belli gravissimarum rerum arbitrium Philippo permitterent, praesertim quum, quomodo Philippus ex incommodo Atheniensium suam occasionem petere soleret, saepe a Demosthene didicissent, haud contemnendo magistro[1]). Quare vide ne, si illam sequaris sententiam, in socios nimiam ingenii tarditatem conferas, quum mentem iis fuisse integram magis sit verisimile. — Iniquum me esse, dicet quispiam, qui quaenam tum esset sociorum conditio non satis mecum reputaverim. In magna enim spe fuisse socios, fore ut, si multae opulentaeque civitates facta cum Atheniensibus societate pacis participes factae essent, ipsi una cum his omnes casus perferrent, et in pristinam illam et aequam tributorum descriptionem redirent[2]). —

1) Dem. Ol. I: §§ 9, 14; Ol. II: § 23; Ol. III: § 8; Dem. Phil. I: §§ 9, 31, 42. — Jam multo ante Philippi perfidia Atheniensibus erat cognita; vide Grot. XI: 508.

2) Haec argumenta, a Schaefero ad suam sententiam confirmandam allata (Dem. u. s. Z. II: 202, 206, 207), Grotei quoque sententiae confirmandae apta videri possunt. Quare verba Schaeferi hic adscribenda putavi: Dass die Bundesgenossen Athens auf den Beitritt anderer Hellenischen Staaten Werth legten, kann uns sehr begreiflich erscheinen. — Jetzt galt ihre Stimmme wenig oder nichts — — sie seufzten unter den Steuern und den Erpressungen Athenischer Feldherrn. Wie ganz anders musste sich das gestalten, wenn wieder, wie ein Menschenalter zuvor, bedeutende Staaten dem Bunde beitraten, und ihr Ansehen ins Gewicht legten. Darum hingen sie an jener Hoffnung . . bis zum letzten Augen-

Quid tum? periculum erat ne spem hujus rei perderent, nisi dilationem illam suasissent? At in extremo decreto huic rei satis provisum erat a sociis ipsis, quum rogaverant, ut ceteris Graeciae civitatibus in tribus proximis mensibus pacis aditus pateret. Qua via quum nullo reipublicae periculo uti liceret, adeone igitur fuerunt dementes socii, ut etiam aliam quandam commendarent neque necessariam et ejusmodi, quam si ingrederentur Athenienses, rempublicam ultimum in discrimen adducturi essent?

Sed quum ea, quae ex illa sententia efficiuntur, ejusmodi sint, vix ut illa sententia defendi posse videatur, tum totam illam sententiam funditus esse repudiandam manifestum erit, si ea, quibus ipsa nititur, argumenta in quaestionem vocaveris; quae quam sint levia atque infirma probare nunc in animo est. — "Ab Atheniensibus missi sunt legati, qui ceteras Graeciae civitates ad libertatem tuendam cohortarentur." — Constat: at quonam tempore hoc factum est? — "Nimirum non multo ante captam Olynthum[1];

---

blicke; sie wollten noch auf Hellenischen Gesandtschaften warten, als die Athener längst nicht mehr darauf rechneten.

Lachmannus (Gesch. Griech. II: p. 95) negare non potest legatos Atheniensium, ad alias civitates missos, jam rebus infectis Athenas rediisse, quum de pace deliberaretur (cfr pag. 16, adn.). Sed ne Æschines decretum sociorum in recitando vitiasse putetur, — nam fere semper Æschini patrocinatur — affirmat socios de industria in decreto falsa et insulsa scripsisse; tulisseque socios, ut differretur tota de pace deliberatio, donec redirent Atheniensium legati ad alias civitates missi, *licet jamdiu iidem ipsi legati reduces essent!* — L. c.: "Der Vorwurf des Erlogenseins trifft also das Bundesgenossendogma. *Warum nun die Bundesgenossen gegen die Wahrheit anstiessen*, wissen wir nicht; Vermuthungen lassen sich mehrere aufstellen, *entweder dass die Bundesgenossen wirklich so hofften, das projektirte Synedrion wieder in Gang zu bringen*, oder dass sie den Athenern nur einen Vorwurf(!) machen wollten, dass sie es wieder aufgegeben."

1) Vel sub idem fere tempus! Vide Æsch. F. L. § 58: (*τῶν πρέσβεων*) *οὓς ἐξεπέμψατε εἰς τὴν Ἑλλάδα ἔτι τοῦ πολέμου πρὸς Φιλιπ-*

verum quid ad rem?" — Quasi vero ad rem dijudicandam id maximi momenti non sit! Nam legatos, paulo ante captam Olynthum ad cohortandas Graeciae civitates profectos, nondum rediisse quum de pace deliberaretur, sed plus unum annum in hac re consumpsisse[1]), ab omni fide abhorret, praesertim si, quam exiguo temporis spatio illa aetate opus fuerit ad alias legationes administrandas, tecum consideraveris. Cognitum est enim, legatos in prima ad Philippum legatione

---

που ὑμῖν ἐνεστηκότος. Cfr ibid. § 79: *ἐγὼ δ' ἐν μὲν τῷ πολέμῳ συνίστην Ἀρκάδας κ. τ. λ.* vide adn. nostr. prox. Idem efficitur e Dem. or. F. L. § 306, ubi Æschines dicitur in sua legatione Atrestidam convenisse, e Macedonia venientem et captivos Olynthios secum ducentem. Cfr Frankii prolegg. pp. 21, 22; Schaef. II: 161; Elspergeri de pace Philocr. disp. p. 9.

1) Temporum ordines alii aliter explicarunt. Quamquam non magnopere dissentiunt inter se doctissimi viri; quod videre licebit, sententiis eorum quasi uno in conspectu positis. (Vide Schaeferi Dem. u. s. Z. II: 161, 209; III: 331; Boeneckii Forsch. I: 376, 732; Winiewsk. Comment. pp. 68, 72, 365; Westermanni Vit. Dem. p. XIX; Brückneri Kön. Phil. pp. 87, 147, 148; Frankii Prolegg. ad Dem. or. de F. L. pp. 19, 20; ejusdemque Dem. orationes Phil. Novem, p. 282; Clint. Fast. Hell. a. Olymp. 108: 2; Grot. Hist. of Gr. XI; 505, 510).

	Schaef.	Boehn.	Winiewsk.	Westerm.	Brückn.
Olynthus expugnatur:	348, aestate.	348, Decemb.	348, initio anni.	348.	348, med. anno.
Legati Atheniensium ad alias Graeciae civitates evocandas mittuntur:	paullo post.	aliquanto ante.	p. post.	aliquanto ante.	paullo ante.
Atheniensium et sociorum de pace deliberatio:	346, mens. Apr.	346, m. Mart.	346.	346.	346.

Quae consequentia sint, quis non videat? Efficitur, ut legati, si, quum de pace deliberaretur, Athenas nondum rediissent, *plus duobus annis* in illa legatione administranda insumpturi fuerint! Quod cum omnibus, quae de legationibus Graecorum nobis cognita sunt, pugnat.

non amplius unum mensem peregrinatos esse[1]. In secunda autem ad Philippum legatione administranda, quum quanta maxima poterant tarditate iter facerent legati, non plus quam duo fere menses decemque dies consumpserunt[2], licet et commorarentur Orei, et diu Pellae sederent compressis, quod ajunt, manibus. In hac tanta legatorum tarditate ac mora tam exiguum temporis spatium requisivit longinqua

Groteo, Frankio et Clintoni haec placent:

	Gr.	Fr.	Clint.
Olynthus expugnatur:	347, primo vere.	347, vere.	347, vere.
Legati Atheniensium ad alias Graeciae civitates evocandas mittuntur:	347; vere; post captam Ol.	347, post capt. Ol.	
Atheniensium et sociorum de pace deliberatio:	346, mens. Mart.	346, mens. Mart.	346, mens. Mart.

Quid igitur? unum fere annum legati in adeundis civitatibus insumpserunt? At hoc ipsum per se a veri similitudine abhorrere, mox ostendam. Deinde Æschines, ipse illius legationis particeps, redierat jam circa mediam aestatem anni 347, ut fatetur Groteus (l. c. p. 511), licet non modo Megalopolin (Dem. F. L. § 11), sed etiam nonnullas alias Peloponnesi civitates adiisset; si quidem Æschini ipsi tribuenda est fides (Æsch. F. L. § 79: *ἐγὼ δ' ἐν μὲν τῷ πολέμῳ συνίστην . . . Ἀρκάδας καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον· οὐδενὸς δ' ἀνθρώπων ἐπικουροῦντος τῇ πόλει, . . ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ . . τὴν εἰρήνην συνθέσθαι*). Quae quum ita sint, quid de ceteris legatis putandum est, quibus breviora itinera suscipienda erant? Redierant, credo. Quod idem inde quoque manifestum fit, quod, quum de pace Athenis deliberabatur, cognitum erat, nullam civitatem adhortationes Atheniensium curasse. Hoc quomodo scire potuerunt Athenienses, nisi legati illi, ad id explorandum missi, domum reduces de hac re renuntiassent (cfr pag. 16, adn.)? Quod si jam redierant legati, nemo est, cui non appareat, socios nihil de iis exspectandis tulisse; Æschinemque decretum in recitando interpolasse.

1) Vide Schaef. II: 162, adn. 1; idem placet Boehneckio (Forsch. I: 733) et Winiewskio (Comment. p. 365).

2) Hanc rem uberius tractatam invenies, quum ad secundam legatorum in Macedoniam legationem veneris.

illa in Macedoniam via[1]; et quisquam dubitabit, quin minutum illud in Peloponnesiacas civitates[2]) iter non dicam in sex sed in tribus mensibus conficere potuerint viri, quos tum magno itineris properandi studio incensos fuisse est verisimile![3]) Quid illud? In oratione in Ctesiphontem, ubi obstinate negat Æschines, ullos rediisse legatos, facere non potest, quin nostram sententiam confirmet. Commemorat enim, Demosthenem quum de pace deliberaretur in concione Athenienses hortatum esse, ne propter cunctationem ceterarum civitatum differrent, quin pacem facerent[4]). Sequitur

1) Multa alia exstant documenta, quibus perspici possit, quanta celeritate illa quoque aetate proficisci licuerit; si quidem Demosthenes commemorat (in Ctes. § 30) decem vel rectius quattuor tantummodo diebus opus fuisse ad iter ex Athenis in Hellespontum faciendum Hoc quidem notandum; sed nihil magis est memoratu dignum, quam quod de Epaminonda accepimus; die quarto decimo mensis Scirophorionis eum interfuisse Lacedaemone communi Graecorum concilio, quinto vero die mensis insequentis (Hecatombaeonis) in Boeotia apud Leuctra contra Lacedaemonios pugnasse. [Vide Plutarch. Ages. 27, 28; Th. Fischer. Griech. Staatsmänner und Philosophen, II: pp. 365, sqq. 382; Grot. Hist. X: 227, sqq.; 249 sqq.]. Potuit ille *viginti diebus* primum concilio Graecorum, quod plus unum diem tenuit (Xen. Hell. VI: 3; 19), Lacedaemone interesse, deinde a Laconia in Boeotiam proficisci, post civibus suis legationem renuntiare, deinde in castra proficisci hostiumque copias profligare! Quî igitur convenit putare, legatis illis Atheniensium maximam partem in Peloponnesum missis (vide adn. nostr. prox.), *plus duodecim menses* ad legationes perfungendas non satis fuisse? — Cleonem *viginti diebus* ex Athenis profectum esse, Peloponnesum circumnavigasse, Sphacteriam expugnasse et, Peloponneso iterum circumnavigata, Athenas retro venisse, omnibus est cognitum. Cfr Grot. Hist. VI: 459—482; Thucyd. IV: 28, 39.

2) Vide Winiewskii Comment. p. 75; Boehn. Forsch. I: p. 235; Elspergeri Comment. de pace Philocratea p. 14.

3) Agebantur enim gravissimae res, neque cognitum est, ullos tum in legatorum numero fuisse proditores. Æschines quidem, qui illi legationi interfuit (Dem. F. L. §§ 10, 11, 304, 305, 306; Æsch. F. L. §§ 79, 164), munere studiosissime functus videtur. Commode de hac re dixit Groteus: "It was in truth the most honourable epoch of his life" (XI: 510).

4) Æsch. in Ctes. § 72: *οὐ γὰρ ἔφη δεῖν . . . τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀναμένειν μελλήματα.*

igitur ut legati Atheniensium, ad explorandas ceterarum civitatum voluntates missi, contra quam affirmat Æschines, jam reduces fuerint, si jam tum exploratum erat, illas civitates cunctari et tergiversari. Nam quod attulit Stechowius[1]), ad illam legationem administrandam solito plus temporis opus fuisse, quod singulis legatis adeundae essent complures civitates, *aliae ab aliis magnis intervallis disjunctae*, id nullum verum argumentum est, quum conjectura contineatur eademque a probabilitate remotissima. Nisi forte cuiquam verisimile videtur, Athenienses e potestate mentis exisse; quumque id ageretur, possetne etiamtum Graecia semetipsam contra barbarorum copias defendere an evanuisset ita pristina illa virtus, ut esset de libertate Graecorum desperandum, nisi pax sine mora fieret, tum curasse quidem Athenienses ut scirent, num paratae essent finitimae civitates ad communem libertatem tuendam, ut quam maturrime scirent, non item[2]).

Placet igitur, de hac re aliam quandam sententiam esse sequendam? Non placet, sed necesse est. Etenim si de Æschine nullos tum legatos rediisse vociferante constat, eum, illius legationis participem, quum socii decretum illud scriberent, non solum Athenas revenisse suamque legationem — qua vix ullam tum longioris spatii fuisse cogitare possumus — jam gessisse gestamque renuntiasse coram po-

1) Vide pag. 17, adn. 2.

2) Haud scio an Stechowius Æschinis or. F. L. § 79 respexerit, si ullum omnino oratorum locum ad suam sententiam comprobandam aptum putavit. At nullam vim ad Stechowii sententiam probandam ille locus (vide pag. 24, adn.) habet. Nam neque inde efficitur, ut civitates, singulis legatis visitandae, magnis intervallis disjunctae fuerint; et si Æschines, qui non modo Ἀρκάδας sed etiam τοὺς ἄλλους Ἕλληνας cohortatus erat, jam 347 (Grot. XI: 511) vel 348 (Boehn. I: 377) Athenas redire potuit, non potest cuiquam esse dubium, quid statuendum sit de ceteris legatis, quibus non totidem civitates adeundae erant.

pulo, sed etiam iterum a populo legatum fuisse, illamque alteram legationem jam suscepisse; quid est quod dubitemus, quin reliqui quoque Atheniensium legati, quum socii decretum illud scriberent una legatione gesta jam reduces fuerint? Quod si jam redierant legati, quis non videat, socios non potuisse scribere, ut differretur de pace deliberatio, donec redirent. Age vero aliam quoque rem consideremus. Commemorat Demosthenes, quum de pace Athenienses deliberarent, ceteras Graeciae civitates in Athenienses sic affectas fuisse, ut pericula Atheniensium ad suam curam non pertinere putarent; nihil auxilii ab iis sperare licuisse [1]); quumque pax fieret, nullos legatos in tentandis ceterarum civitatum animis fuisse occupatos; jamdiu enim cognitum fuisse, quomodo ad Atheniensium pericula animi omnium Graecorum obduruissent [2]). Quod quam sit ad veritatem dictum facile patebit, si Æschinis orationem de falsa legatione inspexeris. Tantum enim abest, ut is quicquam de hac re contradicat, ut verba Demosthenis suo testimonio mirum in modum confirmet. "Nullam civitatem tulisse Atheniensibus opem illo tempore, quum pax fieret; alias nihil curasse pericula Atheniensium; alias Atheniensibus fuisse infestas; quare quum destituta et relicta esset respublica, se quoque pacem suasisse [3]). Quorsum igitur haec? Ut

---

1) Dem. de Cor. § 20: *ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, εἴτε χρὴ κακίαν εἴτ' ἄγνοιαν εἴτε καὶ ἀμφότερα ταῦτ' εἰπεῖν, οἱ πόλεμον συνεχῆ καὶ μακρὸν πολεμούντων ὑμῶν, καὶ τοῦτον ὑπὲρ τῶν πᾶσι συμφερόντων, ὡς ἔργῳ φανερὸν γέγονεν, οὔτε χρήμασιν οὔτε σώμασιν οὔτ' ἄλλῳ οὐδενὶ τῶν ἁπάντων συνελάμβανον ὑμῖν· οἷς καὶ δικαίως καὶ προσηκόντως ὀργιζόμενοι ἑτοίμως ὑπηκούσατε τῷ Φιλίππῳ,*

2) Dem. de Cor. § 23; vide pag. 15, adn. 1.

3) Æsch. F. L. § 79: *οὐδενὸς δ' ἀνθρώπων ἐπικουροῦντος τῇ πόλει, ἀλλὰ τῶν μὲν περιορώντων, ὅ τι συμβήσεται, τῶν δὲ συνεπιστρατευόντων, . . . ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ διαλύσασθαι πρὸς Φίλιππον*

intelligatur idem illud, de quo ante dixi, omnes legatos reduces fuisse, quum de pace Athenis deliberaretur. Non enim potuit Æschines scire, quomodo animo affectae essent ceterae civitates, nisi jam rediissent legati illi ad id ipsum explorandum ab Atheniensibus missi [1]). Quod si ita est, nihil scripsisse socios de exspectandis Atheniensium legatis, nemo est quin videat. Nisi forte exspectandi erant ii, qui multo ante Athenas redierant! Et haec quidem contra Groteum et qui eum secuti sunt.

Jam apparet, nihil de exspectandis *Atheniensium* legatis scripsisse in decreto socios; quippe; legati enim Atheniensium jam reduces erant, quum socii, quid sentirent de modo pacis faciendae, in decreto suo declararent. Nec vero audiendus est A. Schaeferus, qui putat tulisse socios, ut ne quicquam de pace ante decerneretur, quam venissent Athenas viri, pacis communicandae caussa publica auctoritate missi *ab iis civitatibus*, quas legati Atheniensium in legatione illa ad communem libertatem tuendam paullo ante evocassent [2]). Nam primum nemo est quin videat, huic sen-

---

καὶ τὴν εἰρήνην συνθέσθαι, ἣν σὺ νομίζεις νῦν αἰσχρὰν . . . ἐγὼ δὲ ταύτην εἶναί φημι πολλῷ καλλίω τοῦ πολέμου. Cfr pag. 16, adn.

1) Quantum fidei Æschini, nullos ante pacem factam rediisse legatos vociferanti, sit tribuendum, inde colligi potest, quod asseverat (F. L. § 59), se mori velle, si ulli legati tum rediissent, — licet paullo post confiteatur, se et illi legationi interfuisse, et ante pacem factam Athenas rediisse (l. c. §§ 79, 164; cfr Dem. F. L. §§ 11, 304). — Magna voce pollicetur, unumquemque, qui illi legationi interfuerit, testificaturum, nullum tum reducem fuisse legatum (§ 59). At nullum testimonium recitari jubet.

2) Dem. und s. Zeit II; 206: "Was er (Æschines) weiterhin anführt scheint nichts anderes zu ergeben, als dass der Bundesrath beantragte *es solle auf das Eintreffen der* (in Folge der Athenischen Aufforderung abgesendeten) *Hellenischen* Gesandtschaften und *ihren* Eintritt in das Synedrion gewartet werden. "Ibid. p. 208: So erscheint mir denn das Gutachten der Bundesgenossen *in der Hauptsache* von Æschines richtig wiedergegeben zu sein."

tentiae partim eodem modo, quo Grotei, occurri posse. Tulisse socios, ut tota res differretur! Qui probari potest? Utile erat? Nihil minus! An necessarium ad pacis societatem ceteris Graeciae civitatibus comparandam? Ne id quidem![1]) Ecce autem aliud argumentum: in oratione Ctesiphontea quum capita decreti percurrit Æschines, non significat ullum de hac re verbum in decreto sociorum scriptum fuisse; tantummodo de duabus rebus scripsisse socios: de pace concilianda et de trium mensium spatio ceteris Graeciae civitatibus largiendo[2]). Quid igitur? possumusne dubitare quin, si quid de hac re in decreto scriptum fuisset, id significaturus fuerit Æschines illo loco, ubi non modo capita

---

Nonnullis Æschinis locis haec sententia firmari videtur. Vide Æsch. F. L. § 61: (*Δημοσθένης*) *προϋφαιρῶν τὰς ἐκκλησίας, πρὶν ἐπιδημῆσαι τοὺς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων πρέσβεις*. Ibid. § 62: (*οἱ σύμμαχοι*) *ἀπεφήναντο ἀναμεῖναι τὴν πόλιν τὰς Ἑλληνικὰς πρεσβείας*. At in or. F. L. § 60 diserte dixit, socios tulisse ut exspectarentur *legati Atheniensium* (non legati *aliarum civitatum*, ab illis Atheniensium legatis arcessiti). Eodem fere modo in or. in Ctes. (§§ 58, 64, 68) dixit. Vides repugnantiam! De qua dubitari potest, negligentiâne ab Æschine inducta sit, an voluntate, quo magis involuta et judicibus ad dijudicandum difficilis fieret tota res.

1) Æschines (in Ctes. § 70) ipse fatetur, socios, quum ferrent de trium mensium spatio ceteris civitatibus ad pacem communicandam dando, nihil aliud spectasse, quam ut illis civitatibus liceret, legatis Athenas missis pacem communicare [l. c. *τὸν χρόνον τὸν τῆς τριμήνου ταῖς τῶν Ἑλλήνων πρεσβείαις ἱκανὸν γενέσθαι παρασκευάζοντες*]. Quod si ita est, non opus fuit, ut differretur de pace deliberatio, donec illi legati venirent, quippe quibus pacis aditus in tribus proximis mensibus pateret. Neque Æschines *in or. in Ctes.* ausus est dicere, socios de legatis exspectandis quidquam tulisse. Nimirum Demostheni tum data fuit respondendi potestas.

2) Æsch. in Ctes. §§ 69, 70: . . . *δόγμα κοινὸν τῶν συμμάχων, οὗ τὰ κεφάλαια διὰ βραχέων ἐγὼ προερῶ. πρῶτον μὲν γὰρ ἔγραψαν ὑπὲρ εἰρήνης ὑμᾶς . . . βουλεύσασθαι, . . . ἔπειτα προσέγραψαν κ. τ. λ.* (vide pag. 10, adn. 1). *ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω, ἐξ αὐτοῦ δόγματος ἀκούσαντες μαθήσεσθε.* ***ΔΟΓΜΑ ΣΥΜΜΑΧΩΝ.***

decreti enumerare se asseveret, sed etiam ad suam in enumerando fidem probandam ipsum decretum recitari jubeat? Sed quid ego illa commemoro? Constat legationem illam, ad ceteras Graeciae civitates ab Atheniensibus missam, nihil effecisse, rediisseque et Æschinem et ceteros legatos, opera in cohortandis contra Philippum civitatibus frustra consumpta[1]. Hanc rem si tecum consideraveris, non erit quod de ea, quae nunc agitur, re diutius dubites. An credi potest, tantam fuisse sociorum stultitiam, ut in summo reipublicae periculo censerent, nullum esse consilium capiendum, antequam ad rationes Atheniensium sese adjunxissent eae civitates, quae modo declarassent, suas se rationes saluti Atheniensium anteponere?[2]

1) Æsch. F. L. § 79; Dem. de Cor. §§ 20, 23. Cfr pag. 16, adn.

2) Dicet aliquis: noli confirmare, ceteras civitates id declarasse; nam si Demosthenis orat. F. L. § 16 inspexeris, tibi perspicuum erit, ad preces Atheniensium ceterorum Graecorum aures non clausas fuisse; si quidem illo loco Demosthenes dixit, nonnullas civitates legatos misisse, qui, quum Athenienses de pace deliberarent, Athenis adessent. — Ego vero paullo ante (pag. 16) quasi praeteriens monui, quid de illis Demosthenis verbis statuendum esset; totumque hoc argumentum, a Groteo ad probandam suam sententiam allatum, repudiatum a Schaefero (Dem. und s. Z. II: 200, 201), in hunc disputationis nostrae locum reservavimus, quippe quod nobis videretur aptum ad Schaferi quoque sententiam confirmandam. Quae sententia quoniam nobis repudianda videtur, de illo argumento, ad illam ipsam sententiam probandam aptissimo, nunc paullo uberius disputandum est.

Illo *uno* loco (F. L. § 16) dixit Demosthenes, legatos a ceteris Graeciae civitatibus missos fuisse, qui cum populo Atheniensium de bello adversus Philippum consulerent. At non solum Æschines de hac re longe aliter narrat, velut quum (F. L. § 59) negat, ullos ceterarum civitatum legatos Athenis ante pacem factam adfuisse, quumque (§ 79, F. L.) affirmat destitutam fuisse illo tempore Atheniensium rempublicam, nullamque civitatem res Atheniensium curasse; Demosthenes ipse aliis locis (de Cor. §§ 20, 23) idem atque Æschines, et iisdem fere verbis, commemorat. Quare quum illo loco Demosthenes et cum Æschine et ipse secum pugnet, quis est, cui in suspicionem non veniat, illo loco Demosthenem non vero stetisse? Ac ne quis putet, a prudentia Demosthenis abhorruisse, in rebus

His tot tamque claris argumentis et signis quum res ipsa luceat, haud scio an pro certo affirmare liceat, socios

---

satis per se apertis falsa veris inserere, *et* alii sunt loci, ubi Demosthenes, quum vera dicere satis futurum fuerit, veritatem mendaciis contaminaverit [velut de tribus illis mensibus in Macedonia a legatis perditis (Dem. de Cor. § 30) de qua re post disputabo], *et* illo loco mendaciunculum illud erat ad consequendum id, quod spectabat Demosthenes, aptissimum.

Is enim sibi proposuerat, ut conspicuum faceret, quantum differrent consilia, quae Æschines in Peloponnesum legatus cepisset, ab iis, quae in pace suadenda secutus esset mercede corruptus (Dem. F. L. § 9: *βούλομαι ὑπομνῆσαι, εἰς τίνα τάξιν ἑαυτὸν ἔταξεν Ἀισχίνης ἐν τῇ πολιτείᾳ τὸ πρῶτον, καὶ τίνας λόγους κατὰ τοῦ Φιλίππου δημηγορεῖν ᾤετο δεῖν, ἵνα εἰδῆθ' ὅτι . . . ἐξελεγχθήσεται δῶρα ἔχων*). Hac mente primum commemorat de oratione ejus in concione habita, quum legationem in Peloponnesum renuntiaret; monuisse eum, cavendum esse Philippum, per dolum et largitionem pericula omnibus Graeciae civitatibus molientem (§§ 10, 11, l. c.). Deinde Atheniensibus in memoriam reducit orationem Æschinis coram populo habitam, quum de pacis conditionibus deliberaretur. In illa concione eum cum Philocrate, commoda Philippi defendente, conjunctum suasisse, ne Athenienses de ceteris Graeciae civitatibus laborarent, neve postularent, ut iis tres menses ad pacem communicandam darentur (§§ 15, 16 l. c.). Hic subsistere debuit Demosthenes; nam et satis notatum erat Æschinis mobile ingenium, neque ea, quae dixerat Demosthenes, a vero abhorrebant. Sed haec non sufficere putavit, et ad illam commutationem Æschinis paucis verbis significandam et Atheniensibus quasi inculcandam "*καὶ ταῦτα*", inquit, *ὁ σχέτλιος καὶ ἀναιδὴς οὗτος ἐτόλμα λέγειν ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων καὶ ἀκουόντων, οὓς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων μετεπέμψασθε ὑπὸ τούτου πεισθέντες ὅτ' οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν* (l. c. § 16, extr.). Id vero quamvis idoneum ad id, quod spectabat Demosthenes, quum testimoniis et Æschinis et ipsius Demosthenis refutetur, non dubito, quin hoc loco Demosthenes a veritate desciverit. Quod idem mihi videtur alio quoque modo posse demonstrari.

Velim enim ea diligenter attendas, quae de his duabus rebus respondit Æschines sui purgandi caussa. De ea, quae rem continet, criminatione (suffragatum se esse Philocrati) nonnisi caute loquitur [F. L. §§ 74—77; cfr § 79]; quumque inprimis illud crimen diluendum esset, nisi proditionis suspicionem vellet Atheniensibus praebere, tamen refutationem defugit pugnamque quasi detrectavit. — "Quippe", dicet fortasse quispiam, "nam vidit Æschines, se quasi obtuso gladio pugnaturum fuisse, quum et vera essent Demosthenis crimina et argumenta firmissima." — Assentior; sed tenebo, ubi Æschinem videamus tergiversantem, ibi hanc ipsam rem significare, vera esse Demosthenis crimina; sequitur enim, si tibi constare vis,

in suo decreto nihil de exspectandis ceterarum civitatum legatis scripsisse. Quid? Si accedit eodem, ut illa Atheniensium legatio non ad belli pacisque societatem, quod contendit Æschines, sed tantummodo ad belli communionem cohortata sit? Quod multis modis demonstrari potest[1].

---

ubi non tergiversetur Æschines, sed fortiter cum Demosthene congrediatur, ibi ut verendum sit, ne Demosthenes vero non steterit. Jam vero in diluenda secunda illa criminatione, [legatos ab ipso accitos adfuisse et audivisse, quum Philocrati suffragaretur — *καὶ ταῦτα ὁ σχέθλιος κ. τ. λ.*], quae minoris est momenti, quantas tragoedias excitat Æschines! Tantum abest ut hoc loco impetum Demosthenis declinet: summa vi adversarium aggreditur, grandique dicendi genere et oratione doloris plena utitur in ea re, quam si silentio praetermisisset, non fuisset cur quis id miraretur [Æsch. F. L. §§ 57, 58; ibid. § 59: *παρελθὼν τοίνυν, Δημόσθενες, ἐπὶ τὸ βῆμα τοῦτο ἐν τῷ ἐμῷ λόγῳ εἰπὲ πόλεως ἥστινος βούλει Ἑλληνίδος τοὔνομα ἐξ ἧς ἀφῖχθαι τότε φὴς τοὺς πρέσβεις* . . .]. Cur igitur illo loco tanta verborum copia tantaque dicendi contentio? Nimirum vidit Æschines, mendacio Demosthenis acerrimum sibi telum datum esse facileque se in illa orationis parte propulsaturum esse impetum Demosthenis, qui temeritate ductus tuta veritatis praesidia reliquisset, neque satis firmis argumentis instructus hostem ad pugnam provocasset. — In eadem sunt sententia Winiewskius, qui putat Demosthenem illa verba dixisse "praeter veritatem" [Comment. p. 74, adn.], Frankius (Proleg. p. 20), Elspergerus (de pace Philocratea, p. 14). Idem placet Boehneckio (Forsch. I: p. 74, adn. 4); a quo non dissentiunt Thirlwallus (Hist. of Gr. V: p. 350) et Brücknerus (Kön. Phil. p. 150), praeterquam quod hi putant, verba illa Demosthenis ad homines sociorum concilio adscriptos spectare. A. Schaeferus censet, Demosthenem illo loco aut Theoros (cfr Boeckhii Staatsh. I: 300, 301; Schoemanni Altherth. II: 24, 25) significasse, aut illa verba dixisse "um der schneidenden Antithese willen" (Dem. u. s. Z. II: p. 201).

1) Scriptum est apud Æschinem (F. L. § 57): *οἱ Ἕλληνες μεταπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου, ἵνα κοινῇ καὶ πολεμοῖεν, εἰ δέοι, Φιλίππῳ μετὰ Ἀθηναίων, καὶ τῆς εἰρήνης, εἰ τοῦτο εἶναι δοκοίη συμφέρον, μετέχοιεν*, ubi consideres velim, Æschinem de illa legatione dixisse, cui ipse interfuisset (cfr Dem. F. L. §§ 10, 16, 304). Boehneckius, Æschinem secutus, putat, illam legationem ad bellum *pacisque* communionem spectasse (Forsch. I: 199); idem placet Groteo [XI: 538], Flatheo (Gesch. Maced. I: 200, 201) et Lachmanno [Gesch. Griechenl. II: 95]. At illam legationem tantummodo ad bellum communiter gerendum evocasse, sociosque non potuisse suadere, ut exspectarentur ceterarum

Nam facile apparet, si illa legatio ad belli pacisque communionem invitasset, Æschinem, si non ubicunque hujus legationis mentionem faciat, at illo saltem loco, quo de hac legatione quasi rationes reddat, scripturum fuisse, se in illa legatione Graecas civitates cohortatum esse, ut *aut* inferrent bellum Philippo, *aut* una cum Atheniensibus de pace deliberarent. Sed nihil vidi minus; de convocatione ad bellum mentio fit; de pacis societate ne unum quidem verbum scriptum est[1]). Sui muneris officiis satisfactum putat, si civitates ad bellum contra Philippum gerendum evocaverit. Quam ob rem? Nempe quia illa legatio tantummodo ad belli communionem invitavit, non ad societatem vel belli vel pacis. Quod ne cui videretur temere atque inconsiderate esse conclusum, notandos putavimus locos nonnullos ex Æschinis et Demosthenis orationibus petitos, qui nostram sententiam argumentis confirmarent. Scriptum est apud Demosthenem (F. L. § 10): ***προσιὼν (Αἰσχίνης) τῷ δήμῳ καὶ πείσας ὑμᾶς πρέσβεις πέμψαι τοὺς συνάξοντας δεῦρο τοὺς βουλευσομένους περὶ τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου.*** Quod idem planius dixit Æschines multis locis, ut F. L. § 164: ***παρεκάλουν ἐπ' ἐκεῖνον (Φίλιππον) τοὺς Ἕλληνας*** — F. L. § 79: ***ἐγὼ συνίστην . . . τοὺς Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον.*** — F. L. § 60: ***παρακαλῶν τὰς πόλεις ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν Ἑλλήνων*** — In

---

civitatum legati, ad pacem communicandam missi — quippe qui non essent ad pacem communicandam arcessiti — id nunc probare in animo est. Cfr p. 14 adn. 1.

1) Æsch. F. L. § 79: *ἐπιτιμᾷς δέ μοι καὶ τὴν . . . ἐν Ἀρκαδίᾳ δημηγορίαν καὶ πρεσβείαν, καὶ μεταβεβλῆσθαί με φῂς . . . Ἐγὼ δ' ἐν μὲν τῷ πολέμῳ συνίστην, καθ' ὅσον ἦν δυνατὸς, . . . τοὺς . . . Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον· οὐδενὸς δ' ἀνθρώπων ἐπικουροῦντος τῇ πόλει, ἀλλὰ τῶν μὲν περιορώντων, ὅ, τι συμβήσεται, τῶν δὲ συνεπιστρατευόντων, ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ . . . τὴν εἰρήνην συνθέσθαι.*

Ctes. § 58: *τὰς πρεσβείας, ἃς ἦτε ἐκπεπομφότες παρακαλοῦντες ἐπὶ Φίλιππον.* — In Ctes. § 64: *τοὺς πρέσβεις, οὓς ἦτε ἐκπεπομφότες παρακαλοῦντες ἐπὶ Φίλιππον.* — In Ctes. § 68: *οἱ δὲ ὑμέτεροι (πρέσβεις) ἀπεδήμουν παρακαλοῦντες τοὺς Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον.* Quid multa? In ipso illo loco, ubi Æschines demonstrare conatur, reprehendendum esse Demosthenem, quod non reditum oppertus sit eorum legatorum, qui ceteras Graeciae civitates ad pacem communicandam cohortati essent — in illo inquam loco facere non potest, quin confiteatur, legatos illos Atheniensium tantummodo ad bellum communiter gerendum, non ad pacis societatem, invitasse. Scriptum est enim in oratione in Ctesiphontem § 65: *δεύτερον δ'ὅπως μὴ μόνον τὴν εἰρήνην, ἀλλὰ καὶ συμμαχίαν εἶναι ψηφιεῖσθε πρὸς Φίλιππον, ἵν', εἴ τινες προσέχοιεν τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, εἰς τὴν ἐσχάτην ἐμπέσοιεν ἀθυμίαν, ὁρῶντες ὑμᾶς αὐτοὺς μὲν παρακαλοῦντας ἐπὶ τὸν πόλεμον, οἴκοι δὲ μὴ μόνον εἰρήνην ἀλλὰ καὶ συμμαχίαν ἐψηφισμένους ποιεῖσθαι.* O divina vis veritatis! Plane et diserte affirmat Æschines, tum quidem Athenienses deliberasse de pace, legationem vero illam antea missam ad bellum non ad pacem spectasse! Quid vis amplius? An satis non est argumenti, quod Æschinem vel invitum cum Demosthene concinere audimus? Mihi vero, quid in tota hac disputatione afferri possit firmius, non facile in mentem venit.

Quae quum ita sint, satis dissolutae sunt Æschinis de hac re criminationes. Nihil in decreto scripserunt socii de legatis vel Atheniensium vel ceterarum civitatum opperiendis, neque Demosthenis in pace maturanda assiduitas quicquam contra decretum sociorum commisit; nisi forte quis putat, quum omnia bello flagrarent summumque esset in mora periculum, potuisse socios ferre, ne ante de pace

ageretur, quam pacis communicandae causa legati venissent ab iis civitatibus, quae ad pacem communiter faciendam non essent invitatae[1]).

Reliquum est, ut de Boehneckii sententia et Winiewskii pauca dicamus; quorum ille quidem putat duas fuisse legationes ab Atheniensibus ad ceteras Graeciae civitates missas. Unam ad bellum communiter gerendum evocasse, eamque missam fuisse ante captam Olynthum; alteram, post captam Olynthum missam, ad belli pacisque societatem invitasse; hanc legationem nondum Athenas rediisse, quum socii decretum scriberent[2]). At neque Æschinis neque Demosthenis testimonio confirmatur, duas legationes ad ceteras civitates missas fuisse. Quamquam quid loquor? Id ut non confirmetur? Immo vero, funditus refutatur. Nam uterque orator tantummodo de una legatione commemorat; cujus quum vel Demosthenes vel Æschines mentionem faciunt, eam dicunt, cui Æschines ipse interfuit[3]) et quam ad belli non ad pacis communionem ceteras civitates evocasse, jam

---

1) Legationem illam Atheniensium *belli* tantummodo communionem spectasse, primus, quod sciam, demonstravit Frankius (Proleg. pp. 19 sequ.). A. Schaeferus, cujus librum fateor magnum mihi attulisse adjumentum ad res Demosthenicas cognoscendas, in hac re parum sibi constat, quantum ego videre possum. Nam Frankii sententiam secutus scripsit (Dem. u. s. Z. II: pp. 161, 162): "darum enthielten . . . die Aufträge der Athenischen Gesandten, wie Demosthenes versichert, und wie die älteren Aussagen des Æschines bestätigen, *keine Einladung zu einem Friedenscongresse*, worüber Æschines in seiner späteren Rede ein grosses Wesen macht." — Quum vero disputat de decreto sociorum (l. c. p. 206), affirmat, tulisse socios, ut — "es solle auf das Eintreffen der *in folge der Athenischen Aufforderung* abgesendeten Hellenischen Gesandtschafften und ihren Eintritt in das Synedrion gewartet werden." Hoc, ni fallor, contendere non debuit is, qui ante docuerat, nullam invitationem ad pacem communicandam fuisse ceteris civitatibus ab Atheniensibus missam.

2) Forschungen I: pp. 199. 235, 378, 379.

3) Vide Æsch. F. L. § 79; Dem. F. L. §§ 10, 16, 304; Frankii Prolegg. p. 21.

docuimus. Nam quid ego dicam de iis, quae contra dixit Frankius? Qui bene monet, vix in cogitationem cadere posse, Athenienses alteram quandam ad ceteras civitates legationem misisse, quam frustra fore exitus prioris legationis haud ita multo ante docuisset[1]).

Winiewskio autem placet, tantummodo unam legationem missam fuisse, eamque irrito incepto jam reducem fuisse, quum de pace Athenis deliberaretur; sed illo ipso tempore Atheniensibus in animo fuisse, ceteras Graeciae civitates iterum Athenas convocare[2]); quod neque per se probabile esse, neque ullo modo probari posse, Frankius contendit[3]). Ac quantum in discrimen rempublicam adducturi fuerint Athenienses, si hujus rei caussa actionem de pace procrastinassent, ex iis, quae supra diximus, scire necesse est unumquemque; neque ego confirmaverim maximam Atheniensium partem cogitasse de iis civitatibus iterum invitandis, quae paulo ante denuntiassent, sibi curae non esse Atheniensium res. Sed non defuisse eos, qui, quum Athenis de pace deliberaretur, cunctandi consilia et ipsi foverent et in concione commendarent, id haud scio an e locis nonnullis Æschinis Demosthenisque significetur[4]); quod bona Frankii venia dixerim.

---

1) Prolegg. p. 21.

2) Comment. pp. 73, 74: "*Athenienses . . . de convocandis Athenas omnibus Graeciae civitatibus cogitabant.* Ibid. p. 76, adn.: *quum de pace jam agendum erat . . . alii ut convocarentur ad pacis societatem Graeciae civitates svadebant, . . . alii ut continuo cum Philippi legatis ageretur.*"

3) Prolegg. p. 21, adn.

4) Commemorat Æschines, Demosthenem, quum de pace in duabus illis concionibus deliberaretur, Athenienses hortatum esse, ne differrent, quin pacem componerent, dum arcesserentur Athenas ceterarum civitatum legati (Æsch. in Ctes. § 72: *οὐ γὰρ ἔφη δεῖν . . . τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀναμένειν μελλήματα. ἀλλ' ἢ πολεμεῖν αὐτούς, ἢ τὴν εἰρήνην . . . ποιεῖσθαι*).

Quid ergo? tu non vides, dicet fortasse quispiam, quam sit verisimile ipsos socios ista cunctandi consilia commendasse, quum neque tu negare audeas ejusmodi consilia commendata fuisse, et Æschines id a sociis factum esse asseveret? Ego vero fateor me aliquando, dubitantem quid in hac re statuendum esset, inter Schaeferi et Grotei sententias fuisse distractum, putasseque me, ejusmodi consilia socios commendasse, ita ut in decreto scriberent, non esse de pace deliberandum antequam vel ceterarum civitatum legati vel potius legati Atheniensium Athenis adessent. Sed quum rem diu multumque mecum reputassem, meam mutavi sententiam. Nam et per se verisimilius est, ejusmodi consilia temeraria et periculi plena commendata fuisse a singulis hominibus, quam a toto sociorum concilio, ubi si quis, quum res in deliberationem vocaretur, cunctationem suasisset, ei necessarium fuit suam sententiam ad peritissimorum virorum judicia exigere, rem etiam atque etiam considerare et hoc modo perspicere, quanta reipublicae pericula allatura esset omnis cunctatio.

Facile est videre, haec vix moniturum fuisse Demosthenem, nisi fuissent Atheniensium nonnulli, qui cunctari aequum censerent; quod idem apertum et manifestum fit, si Demosthenis de Falsa Legatione orationem inspexeris, ubi haec scripta sunt (§ 307): *Ἐπειδὴ δ' ἀφίκετο εἰς Μακεδονίαν (Αἰσχίνης), ἆρά γε ὅμοια ἢ παραπλήσια τούτοις (ἐδημηγόρει); πολλοῦ γε καὶ δεῖ, ἀλλὰ μήτε τῶν προγόνων μεμνῆσθαι, μήτε τρόπαια λέγειν . . . τῶν τε κελευόντων μετὰ τῶν Ἑλλήνων περὶ τῆς . . . εἰρήνης βουλεύεσθαι θαυμάζειν, εἰ περὶ τῶν ὑμετέρων ἰδίων ἄλλον τινὰ δεῖ πεισθῆναι.* Fuerunt igitur, qui suaderent, ut ceterae civitates in consilium vocarentur, et res differretur, dum illarum civitatum legati venirent. Uterque orator his cunctandi consiliis adversatus videtur, neque justa fuit caussa, cur alter alterum hoc nomine reprehenderet. Cfr pp. 19; 20; 40, adn. 3.

Nulli igitur legati, ad ceteras civitates cohortandas missi, non redierant tum quum de pace deliberabatur; sed non defuere, qui in duabus illis concionibus suaderent, ut denuo mitterentur legati, qui dum redirent, pax differretur. In eadem sententia sunt, praeter Winiewskium, Dissenius [Explicat. or. de Cor. p. 189] et Dindorfius (Adn. ad Dem.; Vol. V: p. 317).

Deinde vix credi potest, socios quidquam de rebus differendis scripsisse, quum, quod ejusmodi rogatione spectaturi fuerint socii, id jam satis provisum esset a sociis ipsis, quippe qui postulassent, ut ceteris Graeciae civitatibus tres menses ad pacem communicandam prorogarentur. — "At enim Æschines ad suam de his rebus accusationem probandam decretum sociorum recitavit" 1). — Praeclaram sane defensionem! Recitavit enim ille quidem decretum in duabus suis orationibus, sed in altera altero modo; sequitur, ut in alterutra oratione illud decretum interpolaverit Æschines! Hoc posito et concesso quaerendum videtur, utrum in oratione in Ctesiphontem id ab Æschine factum sit, an in oratione de Falsa Legatione. In illa oratione omnia, quae in decreto scripta fuisse Æschines affirmat, ejusmodi sunt, nullam ut suspicionem, ne tenuissimam quidem, nobis commoveant. Videsne igitur, quid ex his propositis efficiatur? Relinquitur ut decretum sociorum in oratione de Falsa Legatione ab Æschine corruptum putemus. Quare, quae in hac oratione simulat Æschines socios tulisse, si a vero abhorrent, manifestum est, ea in decreto sociorum non fuisse scripta. Et quam longe a verisimilitudine abesset, socios de rebus in incertum differendis tulisse, id jam ante multis modis demonstravimus 2); nihil igitur ejusmodi scri-

1) Flatheus (Gesch. Maced. II: 201): "*Es ist kein Zweifel, Æschines hat . . . die Wahrheit auf seiner Seite. Æschines beruft sich auf Staatsschriften, die ganz unverdächtig sind.*" — Lachmannus (Gesch. Griech. II: p. 95): *Æschines' Behauptung hat aber eine urkundliche Begründung.* — Stechowius (Vit. Æsch. p. 40): *legati Atheniensium nondum redierant . . .; quod patet e documentis, quae Æschines publice legi jussit.*

2) Fuisset enim a) periculosum; b) inutile, quum id, quod ejusmodi rogatione spectandum fuit, satis provisum esset, trium mensium spatio ceteris Graeciae civitatibus ad pacem communicandam postulato; accedit, quod c) socios de rebus differendis et legatis exspectandis tulisse, id Æschi-

ptum fuit in decreto sociorum. Quod quam sit recte conclusum etiam ex hoc perspici potest, quod Æschines et alias litteras publicas in oratione de Falsa Legatione interpolavit [1]), et eam, qua in oratione in Ctesiphontem carebat, libere mentiendi potestatem tum paene infinitam habebat. — Age vero illa res quam declarat, nihil in decreto sociorum de rerum procrastinatione scriptum fuisse, quod quum Æschines in oratione in Ctesiphontem omni virium contentione enitatur, ut easdem, quas in oratione de Falsa Legatione, suspiciones de legatis non exspectatis in Demosthenem conferat, tamen ad suas de hac re criminationes probandas decretum illud in oratione in Ctesiphontem non attulit! Quid ergo? Oblivione id factum putemus? Minime; nam ad alias res, et quidem minutas, probandas non oblitus est tabulas publicas recitare [2]). An credidit Æschines se hac argumentatione supersedere posse? [3]) Non video, si quidquam de exspectandis legatis in decreto scriptum fuisset, quid debuerit Æschini antiquius esse, quam ut suas in Demosthenem de legatis non exspectatis criminationes decreto recitando confirmaret, quum neque ullis aliis documentis hanc rem probaturus esset, et, nisi firmis argumentis docuisset, Demosthenem contra decretum sociorum fecisse, periculum esset ne ipse nihil

---

nes nonnisi tum contendere ausus est, quum nulla Demostheni data erat refellendi potestas. — Socios nihil tulisse de exspectando legatorum reditu, quo cognitum fieret, quid ceterae civitates de pace communiter ineunda sentirent, inde quoque manifestum fit, quod illi legati et d) jamdiu redierant, e) neque ad pacem communiter faciendam cohortati erant.

1) Velut rogationem Demosthenis, in qua scriptum erat, quomodo in duabus illis concionibus deliberandum esset. De hac rogatione post uberius disputabo.

2) Velut quum recitaret eam Demosthenis rogationem, qua ille tulerat, ut legati Philippi ad ludos spectandos invitarentur (in Ctes. § 76).

3) Id placet Schaefero (Dem. u. s. Z. II: 205).

aliud quam calumniari videretur Atheniensibus, qui quantam in dubitationem vocaturi essent Æschinis in Demosthenem criminationes, non erat Æschini ipsi incognitum [1]).

Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? Vides constare haec omnia: Æschinem in judicio de Falsa Legatione, ubi de vita periclitaretur [2]), ad calumniandum eum, quem refutare non posset, accusatorem, dixisse, socios de legatis exspectandis et differendis deliberationibus tulisse; id vero duplici de causa esse incredibile, quum et demonstrari possit, legatos tum reduces fuisse, et vix possit cogitari, socios, etiamsi nondum rediissent legati, rogaturos fuisse, ut illorum adventum Athenienses opperirentur, quippe quod et reipublicae periculosum futurum fuerit, neque ad consequendum id, quod spectabant, necessarium [3]). Spero ex hoc non esse

1) Vide Æsch. in Ctes. §§ 58, 59, 60.

2) Dem. F. L. §§ 3, 66, 110, 131, 179, 270. Cfr Æsch. §§ 6, 8, 59, 127, 179.

3) Haud scio an Groteus, qui a nobis magnopere dissentiat, quodammodo tamen nostram sententiam suis verbis confirmet. Putat socios tulisse, ut deliberatio de pace differretur, dum redirent Atheniensium legati ad ceteras civitates missi; tamen, ut a se discedere non solet vir doctissimus, sed quid constanter dici possit, fere semper quaerit, sic de hac re facere non potest, quin confiteatur, vix quidquam cogitari posse inscitius rogatum. Scripsit enim (Hist. XI: p. 543): this proposition was inpracticable under the circumstances; since it amounted to nothing less than an indefinite postponement of the question. But the Macedonian envoys Antipater and Parmenio were now in Athens, having come by special invitation for the purpose either of concluding peace or of breaking off the negociation, and Philip had agreed ... to refrain from all attack on the Chersonese, while the Athenians were debating about peace. Under these conditions it was imperatively necessary to give some decisive and immediate answer to the Macedonian envoys. To tell them: "We can say nothing positive at present; you must wait until our absent envoys return, and until we ascertain how many Greeks we can get into our alliance" — would have been not only in it-self preposterous, but would have been construed by able men like Antipater and Parmenio as a mere dilatory manoeuvre for breaking off the peace altogether. —

obscurum, num jure liceat suspicari, nihil tulisse socios de rebus differendis Æschinemque ad probandas suas criminationes decretum sociorum interpolasse, quum praesertim demonstrari possit, Æschinem in oratione de Falsa Legatione alias quoque tabulas publicas eodem consilio vitiasse. Age porro; manifestum est, Æschinem in alterutra oratione decretum sociorum interpolasse[1]), neque est quisquam, cui non liqueat, id in oratione de Falsa Legatione citius quam in oratione in Ctesiphontem ab Æschine factum esse[2]). Quid vero? Scripsisse socios in decreto, ut res differrentur, id affirmare ausus est Æschines, dum impune mentiri licuit; dempta mentiendi impunitate, quum Demostheni data esset facultas Æschinem, nisi ad veritatem locutus esset, refellendi, ejusmodi quicquam in decreto scriptum fuisse non modo non pro certo affirmavit Æschines, sed ne significavit quidem. Adde quod et ex Æschinis et e Demosthenis verbis liquet, neque ullos Atheniensium legatos tum abfuisse†), quippe qui jamdiu reduces essent, neque ullos aliarum civitatum legatos ad pacem communicandam venturos fuisse†), quippe quos numquam Athenienses arcessissent. His expositis nisi id, quod paulo ante suspectum videbatur, apertum et manifestum factum est, ego quidem

---

Quod si vera sunt, ut sunt, quae ille disputat, vide ne consideratius egeris, si dubitaveris, num ejusmodi quidquam socii tulerint, quum praesertim necesse sit fatearis, id non modo cum Demosthenis sed etiam cum ipsius Æschinis verbis pugnare. Vide Æsch. in Ctes. §§ 69, 70; F. L. § 79; Dem. de Cor. §§ 20, 23; cfr p. 16 adn.

1) Neque de trium mensium spatio ceteris civitatibus dando, neque de legatis Atheniensium sibi constat Æschines. De hac repugnantia vide p. 10 adn. 1; cfr Westermanni Quaest. Dem III: pp. 38 sequ.; Winiewsk. Comment. pp. 74, 75; Frankii Prolegg. p. 23; Schaeferi Dem. u. s. Z. II: p. 203.

2) Vide Frankii Prolegg. p. 23.

†) quorum adventus ut exspectaretur, socii ferre potuerint.

fateor, me, quid omnino sit in tota hac quaestione apertum manifestumque appellandum, nescire; et, ne longior sim, tantum abest ut ego ultra quicquam argumenti desiderem, ut quid omnino possit amplius desiderari, mihi in mentem non veniat, quum quae alias aliter de hac re dixit Æschines ejusmodi sint, ut ea paene dedita opera ad suam in recitando decreto improbitatem probandam dixisse videatur.

Ita si quaeritur, quid in decreto scriptum fuerit, neque quidquam tulerunt socii de exspectandis legatis Atheniensium, missis ad ceteras civitates contra Philippum evocandas; illi enim jamdiu reduces erant; neque ullos aliarum civitatum legatos, ad pacem communicandam missos, exspectandos censuerunt; nulli enim ejusmodi legati venturi vel omnino arcessiti erant[1]). Haec tantummodo scripserunt socii; quum Athenas venissent legati Philippi, tum duas conciones esse habendas, in quibus esset de pace deliberandum; eaque lege esse pacem faciendam, ut ceteris Graeciae civitatibus in tribus proximis mensibus liceret in pacis communionem recipi. In extremo decreto additum erat, quidquid decrevissent Athenienses, id socios quoque ratum habituros[2]).

---

1) Cfr Brückn. Kön. Phil. p. 150.

2) Jam si adnotationem nostram 3 in p. 12 inspexeris, invenies, Æschinem in oratione F. L. decretum sociorum ita vitiasse, ut non modo totum id caput, in quo scriptum erat de trium mensium spatio ceteris civitatibus prorogando, silentio praeteriret, sed etiam decreto fraudulenter insereret omnia, quae l. c. uncis inclusimus.

Ad verba *οἱ δὲ πρέσβεις* audiendum est *τοῦ Φιλίππου*, ita ut significent legatos Philippi, quos quum socii decretum scriberent Athenas nondum venisse affirmant Groteus (XI: 539) et Schaeferus [II: pag. 206, adn. 1]. Hanc de decreto sociorum sententiam, a Westermanno propositam (de Vit. Dem. Comment. p. XX), cur Schaeferus repudiaverit (l. c.), non intelligo; mihi quidem a vero proxime abesse videtur. Vide enim Æsch. in Ctes. § 67: — — *ἵνα, φησὶν* (*Δημοσθένης*), *ἐὰν ἤδη παρῶσιν οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις, βουλεύσηται ὁ δῆμος ὡς τάχιστα περὶ τῶν πρὸς Φίλιππον*, quem locum Schaeferus ipse protulit. Etiam alio loco, ni fallor, huic sententiae

His cognitis sit jam hujus disputationis modus; in qua vereor ne cui videar nimius fuisse. Verum magnum opus erat atque arduum, rem tot tantisque difficultatibus obstructam expedire; de qua quum inter se dissentirent doctissimi viri, eam disputandi rationem nobis ingrediendam putavimus, ut, nulli sententiae quasi addicti et consecrati, et in percensendis iis, quae de hac re dicta essent, diligentissime versaremur, et exponeremus, quae nobis viderentur de hac re ita dici posse, ut neque inter se pugnarent[1]), neque a vero abhorrerent[2]). His de caussis necessarium fuit de decreto sociorum paullo disputare uberius; accessit illa quoque caussa, quod non potest recte judicari de iis, quae paullo post in duabus illis concionibus a Demosthene dicta sunt, nisi penitus perspexeris planeque cognoveris, quid in decreto sociorum scriptum fuerit.

II.

Quoniam igitur exposuimus, quae nobis viderentur de decreto sociorum dici posse verissime, nunc, quid in duabus illis concionibus actum sit, videamus. Si Æschinem audimus[3]), fere nihil potest cogitari perfidum atque dolosum,

---

fides additur; nam Æschines (F. L. § 53) confitetur Demosthenem dixisse: *ἐγὼ . . ψήφισμα γράψω καὶ τῷ κήρυκι σπείσασθαι τῷ παρὰ Φιλίππου ἥκοντι, καὶ τοῖς μέλλουσι παρ' αὐτοῦ δεῦρο ἰέναι πρέσβεσι, καὶ τοὺς πρυτάνεις, ἐπειδὰν ἥκωσιν οἱ πρέσβεις, ἐκκλησίαν ἐπὶ δύο ἡμέρας ποιεῖν.* Haec omnia, uti rogaverat Demosthenes, jussit populus; et inter omnes fere constat, socios, praeterquam quod trium mensium spatium ceteris civitatibus dandum censuerint, nihil aliud decreto declaratum voluisse, nisi probare se ea, quae de tempore et ratione deliberandi Demosthenes rogasset populusque jussisset. Cfr Schaef II: 208; Grot. XI: 539; Frank. Prolegg. p. 23; Westermann Vit. Dem. p. XX: Brueckn. Kön. Phil. p. 161.

1) Cfr p. 35 adn. 1.

2) Cfr pp. 23—25; p. 26, adn. 2; p. 38, adn. 2.

3) Vide Æsch. in Ctes. §§ 71, 72.

cujus culpam in his concionibus in se non admiserit Demosthenes. Is enim, quod insimulat Æschines, Philocrate in consiliorum societatem assumpto, quum de pacis conditionibus deliberaretur, omnibus viribus contendit, ut res Philippi quam maxima caperent incrementa; neque satis habuit civitatem vi orationis compellere ad ignominiosam pacem faciendam; obtinuit etiam, ut foedus cum Philippo iniretur. Quod quum et contra decretum sociorum repugnaret et Atheniensibus minime cupiendum videretur, tantam fuisse ejus improbitatem, ut, ad suum propositum assequendum, non solum Æschinem et si quis alius pro republica loqui vellet commoda reipublicae tueri suggestu occupato prohiberet, sed etiam, inita cum Antipatro de hac re pactione, illum cohortaretur, ut in suggestum ascenderet. Tum, ut esset constitutum, Antipatrum coram populo ea dixisse, quae paulo ante Demosthenes ei commonstrasset accommodatissima futura ad extorquendum populi assensum; quodque illa pax ad voluntatem Philippi facta esset magno cum detrimento reipublicae, id Demostheni et Philocrati tribuendum.

Ad has gravissimas criminationes non satis accurate esse a Demosthene in oratione de Corona responsum, unicuique manifestum erit, qui studio et ira vacuus illam orationem perlegerit[1]; quare nisi alia exstarent documenta, quae his rebus quasi lumen afferrent, periculum esset, ne nobis vix diluenda videretur suspicio illa ab Æschine in

---

1) Quum criminaretur Æschines, Demosthenem fuisse Philocratis socium, et cum eo conjunctum ignominiosam pacem suasisse, hoc modo respondit Demosthenes (de Cor. § 21): *ὁ μὲν πρῶτος*, inquit, *εἰπὼν καὶ μνησθεὶς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης Ἀριστόδημος ἦν ὁ ὑποκριτής, ὁ δ᾽ ἐκδεξάμενος καὶ γράψας καὶ ἑαυτὸν μετὰ τούτου μισθώσας ἐπὶ ταῦτα Φιλοκράτης ὁ Ἁγνούσιος, ὁ σὸς Αἰσχίνη κοινωνός, οὐχ ὁ ἐμός, οὐδ᾽ ἂν σὺ διαῤῥαγῇς ψευδόμενος.* Haec est negatio, non refutatio. De occupato suggestu, de foedere, de Antipatro nihil respondit Demosthenes.

Demosthenem commota [1]). Exstant autem Æschinis Demosthenisque orationes de Falsa Legatione; quas quum iterum atque iterum pervolutarem, quid mihi visum sit ad verum proxime accedere, id nunc exponam breviter.

Rogaverat Demosthenes populusque jusserat ut, quum legati Philippi venissent, duae conciones haberentur; in priore concione ut unicuique liceret de pacis conditionibus rogationes ferre, in altera ut his rogationibus in disceptationem vocatis [2]), populus in suffragia mitteretur. Hae duae conciones diebus XVIII et XIX mensis Elaphebolionis sunt habitae. In priore concione una rogatio, quantum e verbis Demosthenis Æschinisque colligere licet, de pacis conditionibus lata est; constat Philocratem auctorem fuisse. In illa rogatione scriptum erat, *ut Athenienses cum Philippo pacem facerent foedusque sancirent his conditionibus: ut pacis participes fierent foederique adscriberentur et Philippi socii et socii Atheniensium praeter Halenses et Phocenses; quod vero utrique jam bello occupassent, id ut possiderent et sicut proprium suum haberent* [3]).

1) Voemelius (Disput. de pace inter Ath. et Philippum p. 9) non dubitavit Æschini fidem tribuere. Commemorat enim, *Demosthenem suggestum occupasse et Athenienses monuisse, ne de ceteris Graeciae civitatibus laborarent.* Deinde addit: "*tandem haec vicerunt, quae Demosthenicae orationis violentia extorserat et Philocratis rogatio comprehenserat.*" Eandem protulit sententiam in Prolegg. ad Dem. or. de pace, pp. 254, 255. Assentitur Stechowius (Vit. Æsch. p. 41); dubitare videtur Lachmannus (Gesch. Griechenl. II: p. 96). Repugnant Brueckneruc (Kön. Phil. p. 164), Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: 215, sequ.), Westermannus (Vit. Dem. pp. 19, 20; De litibus, quas Demosthenes oravit ipse, pag. 42), alii.

2) Negat Æschines (F. L. § 64), in altera concione cuiquam licuisse coram populo verba facere; nec desunt, qui haec credenda censeant; de qua re mox videro.

3) Accedebant aliae quaedam conditiones, quas omittendas putavimus, quippe quae nullam haberent vim ad hanc rem expediendam. Vide Schaeferi Dem. u. s. Z. II: 210, 211; Boehn. Forsch. I: 393, 394.

Hae conditiones num accipiendae essent, magna in concione orta est dissensio; multi fuerunt, qui ejusmodi pacem prorsus repudiandam censerent, quorum in numero Hegesippum primum ad dissuadendum esse progressum, memoriae proditum est[1]. In Æschinis quoque reprehensionem illa rogatio incidit; quam quum vituperassset, pacem tamen esse faciendam dixit[2]. Fere omnibus iniquum videbatur Phocenses et Halenses a pace excludi; legati vero Philippi negant, regem alia lege pacem facturum[3]. Tum omnium

---

1) Schol. ad Dem. F. L. § 72 (364, 1, ed. Ddrfii): ὁ πρῶτος εἰπὼν καὶ διακωλύσας Ἡγήσιππος ἦν. De Hegesippo oratore vide Schaef. Dem. u. s. Z. II: 310—312; Westermanni Hist. Eloquentiae Graec. § 53; Grot. Hist. of Gr. XI: 617 sq. — Orationem, quae fertur Demosthenis, "de Halonneso" scripsisse putatur. Dionys. Halic. quidem (de adm. vi dicendi in Demosthene, cc. 9 et 13) illam orationem Demostheni tribuit, et Dionysium nostra aetate Weiskius in hac re acerrime defendit; sed Hegesippum, non Demosthenem, eam scripsisse, quod primus demonstravit Voemelius (Prolegomena in Hegesippi or. de Halonneso), nunc inter omnes fere constat. Vide Winiewskii Comment. pp. 132 sq.; Boehneck. Forsch. I: 439; Schaef. Dem. u. s. Z. II: 412, 413; Westerm. l. c. — Etiam orationem, quae fertur Demosthenis, περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν nonnulli Hegesippo tribuendam putant [vide schol. ad § 1 hujus orationis (211, 1, pag. 254, ed. Dindorfii); Ballu, Histoire critique de l'éloquence I: pp. 275, 350]; quamquam non defuere, qui Hyperidem eam scripsisse putarent [vide Libanii argumentum; schol. Bavar. ad hujus orationis initium]. Res nondum ad liquidum perducta videtur; cfr Schaef. Dem. u. s. Z. III: 192, 193; Westermanni Hist. Eloquentiae Graec. l. c.; Boehneckii Forsch. I: 628, 629; Dindorfii Chronol. Demosthen. p. 100.

2) Dem. F. L. § 14: εἰ πάνυ πολὺν, ἔφη (Αἰσχίνης), χρόνον ἐσκόπει Φιλοκράτης, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πῶς ἂν ἄριστα ἐναντιωθείη τῇ εἰρήνῃ, οὐκ ἂν αὐτὸν ἄμεινον εὑρεῖν οἶμαι ἢ τοιαῦτα γράφοντα. Ἐγὼ δὲ ταύτην μὲν τὴν εἰρήνην, ἕως ἂν εἷς Ἀθηναίων λείπηται, οὐδέποτ' ἂν συμβουλεύσαιμι ποιήσασθαι τῇ πόλει, εἰρήνην μέντοι φημὶ δεῖν ποιεῖσθαι. Cfr Æsch. in Ctes. § 71: τούτῳ τῷ δόγματι συνειπεῖν ὁμολογῶ, καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν δημηγοροῦντες. Eodem fere modo in or. F. L. § 61. Hoc bene tenendum; nam si demonstrari potest, Æschinem Philocratis rogationem suasisse et contra decretum sociorum stetisse (quod mox demonstrabimus), sequitur ut id postero die fecerit.

3) Dem. F. L. § 321.

magna indignatio [1]). Demosthenes rogationem Philocratis funditus repudiandam censet; starent Athenienses decreto sociorum, caverentque ne pacem facerent nisi ita, ut ad omnes Atheniensium socios pax pertineret [2]). Omnibus haec probantur; tamque erant animi civium incitati, ut voces etiam exaudirentur eorum, qui quum Propylaea digito demonstrarent et de pugna Salaminia deque sepulcris majorum mentionem facerent, ultima quaeque potius perpetienda censerent, quam pacem a Philocrate propositam inirent [3]). Vixque temperavere animis Athenienses, quin extemplo suffragium inirent et legatis Philippi responderent, se pacem non facturos nisi e decreto sociorum; sed ut antea erat constitutum, universae rei dijudicatio in posterum diem dilata est [4]).

---

1) In hoc rerum statu mentio orta videtur de rebus in incertum differendis et ceteris Graeciae civitatibus iterum evocandis; sed neque quomodo hoc a populo acceptum sit, constat, neque quis auctor fuerit. Demosthenem vero et Æschinem, si his consiliis adversati sint, non esse reprehendendos, jam ante satis demonstratum putamus. Vide pp. 19, 20, 40, adn. 3.

2) Dem. F. L. § 144: *κρατοῦντος ἐμοῦ τὴν προτέραν ἡμέραν, καὶ πεπεικότος ὑμᾶς τὸ τῶν συμμάχων δόγμα κυρῶσαι καὶ καλέσαι τοὺς πρέσβεις τοὺς τοῦ Φιλίππου.* Cfr Æsch. in Ctes. § 71 (pag. 46, adn. 2).

3) Æsch. F. L. § 74: (*οἱ ῥήτορες*) *ἀποβλέπειν εἰς τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐκέλευον ἡμᾶς, καὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τὸν Πέρσην ναυμαχίας μεμνῆσθαι καὶ τῶν τάφων τῶν προγόνων καὶ τῶν τροπαίων.*

Hoc certamen utrum in priore an in altera concione ortum sit, non satis scio. Nam ex Æschinis verbis (F. L. §§ 63—79) utrumvis colligi potest; si quidem et affirmavit, tantummodo in *priore* concione oratoribus dicere licuisse (§§ 66, 67), et paullo post dixit, quum illo modo oratores animos audientium concitarent, tum se ad animos mitigandos et pacem (Philocrateam) suadendam verba fecisse [§ 74—79]; quod in altera concione factum esse mox demonstrabo.

4) Dem. F. L. § 144: *κρατοῦντος ἐμοῦ τὴν προτέραν ἡμέραν, καὶ πεπεικότος ὑμᾶς τὸ τῶν συμμάχων δόγμα κυρῶσαι καὶ καλέσαι τοὺς πρέσβεις τοὺς τοῦ Φιλίππου, ἐκκρούσας οὗτος εἰς τὴν ὑστεραίαν τὴν Φιλοκράτους γνώμην ἔπεισεν ἑλέσθαι.* Ubi quum "*ἐκκρούσας οὗτος εἰς τὴν*

Postero die concio habetur. Decreto sociorum iterum suffragatur Demosthenes [1]). Tum Philocrates suam rogationem et Philippi commoda contra Demosthenem defendere; non auditur. Hunc excipit Æschines; monet ne Athenienses de salute ceterarum civitatum laborent; "mirari se inconsiderantiam eorum, qui pugnam Salaminiam loquantur et sepulcra majorum. Quippe majorum memoria saepe factum esse, ut Athenienses, quum parvo detrimento defungi licuerit, stolida quadam virium fiducia et nefandorum oratorum vanitate commoti rempublicam in ultimum discrimen adducerent, velut quum Leontinis opem ferrent, vel quum bello Peloponnesiaco pacem a Lacedaemoniis ea lege oblatam, ut et Atticam et Lemnum, Imbrum Scyrumque tenerent Athenienses, non accipiendam putarent; unde quot quantaque ad rempublicam redundaverint damna, omnibus esse cognitum.

ὑστεραίαν" dicit Demosthenes, injuste criminatur; si quidem jam ante erat constitutum, ut postero demum die populus in suffragia mitteretur.

1) Cfr de altera concione Dem. F. L. §§ 15, 16, 291, 321, 144, 159; Æsch. F. L. §§ 75—79; in Ctes. §§ 71, 72, 73. — A. Schaeferus mihi videtur in hac quaestionis parte, quid posset constanter dici, non satis spectasse. Dixit enim Demosthenem omnimodo elaborasse, ut pax quam citissime fieret (Dem. u. s. Z. II: pp. 183, 197; — quod et de Demosthene et de Æschine inter omnes constat), et decretum sociorum in duabus illis concionibus omni vi defendisse (II: 214); quae nullo modo inter se jungi copularique possunt, si quis, ut Schaeferus, affirmaverit, socios de rebus differendis et legatis ceterarum civitatum exspectandis tulisse. Quid enim est tam repugnans, quam, quem dixeris omni studio incubuisse, ut pax nullâ morâ interpositâ fieret, de eodem affirmare, omni modo eum elaborasse, ut res in incertum differretur! Constantius Groteus; qui quum socios de rebus in incertum differendis tulisse affirmasset, probe vidit, negandum esse, aut Æschinem aut Demosthenem umquam sociorum decretum commendasse (XI: 543), licet et ex Æschinis et e Demosthenis verbis manifestum esset, Æschinem id fecisse in priore concione (Dem. F. L. §§. 14, 15; Æsch. F. L. § 61; in Ctes. § 71), in utraque vero concione Demosthenem [Dem. F. L §§ 15, 144; Æsch. in Ctes. § 71: πάντες οἱ ἐν τῇ προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν δημηγοροῦντες (τούτῳ τῷ δόγματι συνεῖπον)]. Habes aliam caussam, cur non putandum sit, socios de rebus differendis tulisse.

Quare illam majorum temeritatem deponerent; quanta enim in pericula vocaturi essent civitatem, si pacem a Philippo oblatam repudiassent, id suspicari de praeterito quam re ipsa experiri esse melius"[1]).

---

1) Dem. F. L. § 144: *οὗτος (ὑμᾶς) τὴν Φιλοκράτους γνώμην ἔπεισεν ἑλέσθαι (ἐν τῇ ὑστέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν).* Ibid. §§ 15, sequ.: *ὁ δὲ ταῦτ'* (vide p. 46, adn. 2) *εἰπὼν τῇ προτεραίᾳ πάντων ἀκουόντων ὑμῶν, εἰς τὴν ὑστεραίαν, ἐν ᾗ τὴν εἰρήνην ἔδει κυροῦσθαι, ἐμοῦ τῷ τῶν συμμάχων συνηγοροῦντος δόγματι καὶ τὴν εἰρήνην, ὅπως ἴση καὶ δικαία γένηται, πράττοντος, καὶ ὑμῶν βουλομένων ταῦτα καὶ οὐδὲ φωνὴν ἐθελόντων ἀκούειν τοῦ καταπτύστου Φιλοκράτους, ἀναστὰς ἐδημηγόρει καὶ συνηγόρει ἐκείνῳ πολλῶν ἀξίους, ὦ Ζεῦ καὶ πάντες θεοί, θανάτων λόγους, ὡς οὔτε τῶν προγόνων ὑμᾶς μεμνῆσθαι δέοι, οὔτε τῶν τὰ τρόπαια καὶ τὰς ναυμαχίας λεγόντων ἀνέχεσθαι, νόμον τε θήσειν καὶ γράψειν μηδενὶ τῶν Ἑλλήνων ὑμᾶς βοηθεῖν, ὃς ἂν μὴ πρότερος βεβοηθηκὼς ὑμῖν ᾖ.*

Veniat Æschines! Qui quamvis caute tergiversetur, facere tamen non potest, quin confiteatur, Demosthenem haec ad veritatem narrasse. Non audet, quae saepe ejus est impudentia, contendere, Demosthenem de his rebus commemorantem mentitum esse, — sed Demosthenes, nimirum, *τοὺς εἰρημένους λόγους ἐπὶ τὰ χείρω διεξέρχεται* (Æsch. F. L. § 69). Monet igitur Æschines (F. L. §§ 70, sequ.), ut Athenienses recordentur, quaenam illis temporibus fuerit rerum conditio. Quo consilio? Nempe ut clementiam Atheniensium imploret, quum infitias ire non audeat. Deinde orationem a Demosthene in vituperationem vocatam fatetur (§§ 74, sequ.): *οἱ μὲν καιροὶ τῆς πόλεως τοιοῦτοι ἦσαν, ἐν οἷς οἱ περὶ τῆς εἰρήνης ἐγένοντο λόγοι. ἀνιστάμενοι δὲ οἱ συντεταγμένοι ῥήτορες περὶ μὲν τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδὲν ἐνεχείρουν λέγειν, ἀποβλέπειν δὲ εἰς τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐκέλευον ἡμᾶς καὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τὸν Πέρσην ναυμαχίας μεμνῆσθαι καὶ τῶν τάφων τῶν προγόνων καὶ τῶν τροπαίων. ἐγὼ δὲ . . . ἔφην δεῖν . . . μιμεῖσθαι . . . τὰς τῶν προγόνων εὐβουλίας, τὰ δὲ ἁμαρτήματα αὐτῶν καὶ τὴν ἄκαιρον φιλονεικίαν φυλάττεσθαι, . . . τὴν εἰς Σικελίαν στρατείαν φυλάττεσθαι, ἣν ἐξέπεμψαν Λεοντίνοις βοηθήσοντες* (cfr Dem. l. c. *μηδενὶ τῶν Ἑλλήνων βοηθεῖν*) . . . *καὶ τὴν τελευταίαν ἀβουλίαν φυλάξασθαι, ὅθ' ἡττημένοι τῷ πολέμῳ, προκαλουμένων αὐτοὺς Λακεδαιμονίων εἰρήνην ἄγειν ἔχοντας πρὸς τῇ Ἀττικῇ Λῆμνον καὶ Ἴμβρον καὶ Σκῦρον . . . τούτων μὲν οὐδὲν ἤθελον ποιεῖν, πολεμεῖν δὲ προῃροῦντο οὐ δυνάμενοι . . . τελευτῶντες δὲ εἰς τοῦτο τὴν πόλιν προήγαγον, ὥστε ἀγαπητῶς τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι ἀποστάντας πάντων καὶ τὰ τείχη καθ-*

Haec oratio animos audientium vehementer commovit, quum praesertim Eubulus in suggestum ascendens in eandem sententiam diceret; "aut Piraeum irent, naves conscenderent, stipendium penderent, aut uti rogasset Philocrates pacem facerent" 1). Unus Atheniensibus restabat scrupulus, quod negabant legati, Phocenses Philippum in sociorum numero habiturum; quem ut populo eximerent Æschines et Philocrates, dictitant: non posse Philippum, propter suum cum Thebanis foedus Thebanorumque cum Phocensibus discordiam, Phocenses ad foedus adsciscere; eum tamen, si pacem nactus sit, de Phocensibus morem populo gesturum, et tum condonaturum quod in pacis carmine diserte polliceri non liceat 2). Tum pax, uti Philocra-

---

ελόντας . . . τὴν μὲν τοιαύτην ἀβουλίαν ὁμολογῶ παραγγέλλειν φυλάττεσθαι. Hac oratione quid spectaverit Æschines, non difficile est videre; habita est ad dissuadendum sociorum decretum (quo rogatum erat, ut pax ad *omnes* Atheniensium socios pertineret, et ceteris Graeciae civitatibus tres menses ad pacem communicandam darentur) et ad commendandam Philocratis rogationem (quâ neque Phocensibus Halensibusque, licet socii essent Atheniensium, pacis communio dabatur, neque ullum spatium concedebatur ceteris civitatibus). Demosthenes contra Philocratis rogationem dissuasit, pacemque, uti rogassent socii, faciendam censuit (l. c.), Æschine Philocratis rogationem defendente. De qua re ne quis dubitet, alium quoque *Æschinis* locum proferendum putamus. F. L. § 79: *ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ διαλύσασθαι πρὸς Φίλιππον καὶ τὴν εἰρήνην συνθέσθαι . . . ἣν σὺ νομίζεις νῦν αἰσχρὰν . . . ἐγὼ δὲ ταύτην εἶναί φημι πολλῷ καλλίω τοῦ πολέμου.* — Tantummodo id negat Æschines (F. L. §§ 66, 67), se hanc orationem in altera concione habuisse, quod Demosthenem (F. L. §§ 15, 144) secuti confirmavimus; de qua re mox videro.

1) Dem. F. L. § 291.

2) Dem. F. L. § 321: *οἱ μὲν παρ' ἐκείνου πρέσβεις προὔλεγον ὑμῖν ὅτι Φωκέας οὐ προσδέχεται Φίλιππος συμμάχους, οὗτοι δ' ἐκδεχόμενοι τοιαῦτ' ἐδημηγόρουν, ὡς φανερῶς μὲν οὐχὶ καλῶς ἔχει τῷ Φιλίππῳ προσδέξασθαι τοὺς Φωκέας συμμάχους διὰ Θηβαίους καὶ τοὺς Θετταλούς, ἂν δὲ γένηται τῶν πραγμάτων κύριος καὶ τῆς εἰρήνης τύχῃ, ἅπερ ἂν συνθέσθαι νῦν ἀξιώσαιμεν αὐτόν, ταῦτα ποιήσει τότε.*

tes rogaverat Æschinesque suaserat, populo cum Philippo convenit; praeterquam quod verba illa in pacis carmine scripta "*πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων*" inducere coactus est Philocrates [1]).

Habes enarrationem earum rerum, quae in duabus illis concionibus ab utroque oratore gestae sunt, breviter perscriptam; ad quam facile est Æschinis iisdem de rebus crimina exigere et quasi ponderare. Sed antequam id ipsum aggredior videntur mihi ea esse refutanda, quae contra disputantur a multis viris et iis doctissimis. Negant verisimile esse, Æschinem decreto sociorum suffragatum esse priore die, altero die adversatum; quippe tantam mentis inconstantiam, quum ipsa per se a fide abhorreat, tum eo minus esse Æschini tribuendam, quod nullis argumentis sed tantummodo criminationibus adversarii infestissimi nitatur [2]). At si diligenter attenderis, vereor ne Æschines priore die

---

1) Dem. F. L. § 159: *τήν τε γὰρ εἰρήνην οὐχὶ συνηθέντων ὡς ἐπεχείρησαν οὗτοι, πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων, γράψαι, ἀλλ' ἀναγκασθέντος ὑφ' ὑμῶν τοῦ Φιλοκράτους ταῦτα μὲν ἀπαλεῖψαι γράψαι δ' ἄντικρυς Ἀθηναίους καὶ τοὺς Ἀθηναίων συμμάχους.* Attendas velim, legatos Philippi negasse, Philippum ejusmodi pacem initurum, Æschinem vero et Philocratem in se recepisse, eum Atheniensibus id, quod vellent, condonaturum. Nihil igitur debuit Æschinis et Philocratis ad suam ipsorum existimationem et ad Phocensium salutem pluris interesse, quam ut ad Philippum, pace facta, quam citissime proficiscerentur, quo viderent, num Philippus ad id, quod ipsi ejus nomine polliciti essent, praestandum esset paratus, et, si tergiversaretur, Athenienses de hac re certiores facerent, quo servarentur Phocenses, et ipsi proditionis suspicionem a se removerent. Hoc quomodo gesserint, post explicabo.

2) Grot. Hist. XI: 543: I do not believe the sudden change of speech in the assembly, ascribed to him by Demosthenes. It is too unexplained, and in it self too improbable, to be credited on the mere assertion of a rival. — Idem Æschines sui purgandi caussa attulit (F. L. § 64): *ὅτι δ' οὐ ψευδῆ μόνον κατηγόρηκεν, ἀλλὰ καὶ ἀδύνατα γενέσθαι, . . . μαρτυρήσει . . . ἡ τῆς αἰτίας ἀπιθανότης.* Cfr Voemelii Prolegg. ad or. de Pace, pag. 255; Lachm. Gesch. Griech. II: p. 90; Thirlw. Hist. of Gr. V: p. 354. Repugnant Brucknerus (Kön. Phil. pp. 163. 164), Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: 215, sequ.), Westermannus (Quaest. Dem. III: p. 43), Frankius (Prolegg. p. 25).

non tam ex animi sententia decretum sociorum commendasse videatur, quam, id quum simularet, viam sibi praemuniisse ad rogationem Philocratis suadendam. Quid enim potest cogitari aptius et ad simulatam illius decreti commendationem et ad cautam rogationis Philocrateae defensionem, quam quod de Æschine accepimus? dixisse eum in priore concione, quum nuntiassent legati, Philippum pacem non ut rogarent socii sed e rogatione Philocratis initurum: "videntur mihi socii aequam suasisse pacem, iniquam et ignominiosam Philocrates; necesse est tamen pacem faciamus"[1]. Quare haud scio an affirmare liceat, Æschinem in altera concione tantummodo diserte et copiose explicasse, quae jam in priore concione significasset. — At enim vide ne injuste egeris, si Demosthenis adversarii infestissimi criminationibus fidem adjunxeris. — Non dicam hoc loco, etiamsi pernegasset Æschines, Demostheni tamen, qui per totam vitam contra Philippum steterit, potius fuisse tribuendam fidem, quam Æschini, qui quomodo semper caussam Philippi susceperit, unicuique est cognitum; ipsum Æschinem Demosthenis de hac re criminationes confirmantem audire licet[2]. Nam quod ad se defendendum contra dixit Æschines, facile dissolvitur. — "Non data fuit cuiquam in altera concione dicendi potestas. Quare quod dixit Demosthenes, me in illa concione rogationem Philocratis suasisse, mentitus est, et quidem inscite, quippe quod ne *potuerim* quidem committere, nedum ut commiserim. Nam illo die coram populo verba facere omnino non licuit"[3]. — Audio; at populum

1) Dem. F. L. § 14 (p. 46, adn. 2).

2) Æsch. F. L. § 79. Dem. F. L. §§ 15, 144.

3) Æsch. F. L. § 66: *ποιεῖ δέ μου τὴν δημηγορίαν ὁ μὲν κατήγορος διαιρετὴν, τὸ ψήφισμα δὲ καὶ τἀληθὲς μίαν· λόγων γὰρ μὴ προτεθέντων εἰς τὴν ὑστέραν ἐκκλησίαν, τῶν δὲ προέδρων κω-*

in altera concione deliberasse, paullo post ipse Æschines dixit[1])! Ergo qua in concione populus deliberavit, in ea verba facere non licuit[2])? Dii te perduint, Æschine! Adeone fatuus atque amens es, ut non videas, ita te loqui, ut non tam mihi, quam tibi ipsi tecum sit controversia? Sed Æschines, credo, quum de sua caussa desperaret, hoc loco, ut saepe, mendaciis usus est[3]). Ac

λυόντων, οὐκ ἐνῆν εἰπεῖν. Ibid. § 67: *ἐν τῇ ὑστέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν, ὅτε οὐκ ἐξῆν δημηγορεῖν.* Ad hoc probandum Æschines in or. de F. L. (§ 65) populiscitum a Demosthene latum recitari jussit. Quare quum multis modis demonstrari possit, in altera concione dicere licuisse, idque Æschines ipse in or. in Ctes. confiteatur, patet, Æschinem, ad calumniandum Demosthenem et semetipsum defendendum, ut sociorum decretum sic illud scitum in recitando vitiasse. Cfr pag. 39, adn. 1.

1) Æsch. F. L. § 67: *ὅτε ἐβουλεύετο*(!) *ὁ δῆμος περὶ τῆς συμμαχίας τῆς πρὸς Φίλιππον κατὰ τὸ Δημοσθένους ψήφισμα ἐν τῇ ὑστέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν — ὅτε οὐκ ἐξῆν δημηγορεῖν*(!). Quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis? Adde quod paucis versibus post [§ 68, ubi de Amyntore commemorat] ita disputat, quasi in altera concione non modo verba facere, sed etiam novas rogationes promulgare licuerit! Sed nimirum totus hoc loco e mendaciis constat Æschines; neque praeter Lachmannum (Gesch. Griech. II: pp. 95, 96) et Stechowium [Vit. Æsch. pp. 41, 42] quemquam inveni, qui Æschini, de Amyntore commemoranti et demptam in altera concione dicendi potestatem excusanti, fidem tribuendam censeret. Vide Thirlw. Hist. V: 355, adn. 1; Brückn. Kön. Phil. pp. 163, 164; Schaef. Dem. u. s. Z. II: 209, 225; Westermann. Quaest. Dem. III: pp. 42, 43; Frank. Prolegg. pp. 24, 25; Elspergeri Comment. de pace Philocr. pp. 17, 18. Dubitare videntur Boehneckius (Forsch. I: pp. 390, 395, adn. 6) et Shilleto (adn. ad Dem. F. L. § 17). — Scholiastae, id aetatis homines, Æschinem defenderunt. Vide Or. Att. ed. Dobson., Vol. XII, pag. 388: *γέγραφε . . . ὁ Δημοσθένης ἐν τῷ ψηφίσματι τῇ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ μόνον ἐπιψηφίζειν, ὅ ἐστιν κυροῦν· συμβουλεύειν δὲ μηδένα.* Cfr schol. ad Dem. or. F. L. § 17 (345, 25, ed. Ddf.). — De Amyntoris testimonio vide Brückneri Kön. Phil. p. 164; Wolfii adn. ad Æsch. F. L. § 68 (or. Att. ed. Dobson. Vol. XII, pag. 110); A. Schaef. Dem. II: 225.

2) Cfr Schaef. Dem. u. s. Z. II: 209, adn. 1.

3) Quam infirma essent Æschinis in hac orationis parte argumenta, Thirlwallum non fugit (Hist. of Gr. V: p. 355, adn. 1); qui cur scripserit

ne plura disputem, in oratione Ctesiphontea[1]) aperte fatetur Æschines, in altera concione unicuique datam fuisse coram populo dicendi potestatem[2]). Quamobrem quum facere non possit Æschines, quin confiteatur se et priore die decretum sociorum commendasse, et Philocrati suffragatum esse, neque utrumque eodem die factum esse videatur; quumque et ex Æschinis et e Demosthenis verbis manifestum fiat, in altera concione licuisse coram populo verba facere, relinquitur ut statuamus, Æschinem in illa concione Philocrati suffragatum esse et Demosthenem in his rebus commemorandis vero stetisse[3]).

Jam quantum fidei sit Æschinis criminationibus tribu-

Æschinem non minus quam Demosthenem Philocrati adversatum esse, Demosthenemque de duabus illis concionibus narrantem plus a vero deflexisse, quam Æschinem, eo magis est quod miremur (l. c. pp. 353, 354: The proceedings of the two assemblies are so distorted by the contradictory statements of the rival orators, that it is hardly possible to discover the real course of the debates . . . The truth evidently lies between them, but apparently more on the side of Æschinės" — quae Shilletoni [adn. ad Dem. F. L. § 16] recte disputata videntur. Pergit Thirlwallus paullo post: To this extreme [to exclude the Phocians and Halus from the treaty] it is probable Demosthenes and Æschines were both opposed).

1) Æsch. in Ctes. §§ 71, 72.

2) Cfr Westermanni Quaest. Dem. III: p. 42; Frankii Prolegg. pp. 24, 25; Schaef. Dem. u. s. Z. II: p. 209.

3) Cfr Brueckneri Kön. Phil. pp. 163—165. — Ipse igitur Demosthenes pacem non modo optandam censuit, sed etiam civibus suasit, licet inter eum et Philocratem magna esset de conditionibus pacis dissensio (cfr Dem. F. L. §§ 93, 94, 178, 229; Dem. de pace § 12; Dem. Phil. II: § 29). Quod bene est tenendnm. Nam in oratione de Corona paene ita loquitur, ac si nullam omnino dederit operam ut pax fieret (§ 21: *ὁ μὲν πρῶτος εἰπὼν καὶ μνησθεὶς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης Ἀριστόδημος ἦν ὁ ὑποκριτής, ὁ δ' ἐκδεξάμενος καὶ γράψας . . . Φιλοκράτης . . . οἱ δὲ συνειπόντες . . . Εὔβουλος καὶ Κτησιφῶν, ἐγὼ δ' οὐδαμοῦ*); ubi paullum a veritate deflectit noster. Vide quae ad hunc locum adnotarunt Dissenius (expl. or. de Cor. p. 188), Westermannus (Ausgew. Reden des Dem. Vol. II: p. 17) et Lundius (Dem. Tale om Krandsen, p. 60). Cfr Flathei Gesch. Maced. II: p. 195.

endum, quis est quin videat? — "Philocrati suffragatus est Demosthenes." — Nihil minus; nam adversatus est. — "Me, in altera concione decretum sociorum defendere volentem, silentium agere coëgit." — Nae tu, Æschine, si in illa concione siluisses, melius famae tuae consuluisses! Sed tantum abest, tum ut silentium egeris, ut rogationem Philocratis magna voce defenderis. — "At enim Antipatrum in suggestum vocavit Demosthenes!" — Et quidem jure. An quos viros miserat Philippus cum populo de pacis conditionibus acturos, iis non danda fuit coram populo dicendi potestas? Una restat quaestio: num Demosthenes una cum Philocrate foedus suaserit. Quod vix potest pro certo affirmari, quum Æschines nihil de hac re criminari ausus sit in oratione de F. L.[1]), ubi quanti Æschinis interfuerit demonstrare, Demostheni fuisse cum Philocrate in componenda pace commercium, unicuique liquet[2]). Sed suaserit foedus De-

---

1) Cfr Brueckn. Kön. Phil. pp. 161, 164. — Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: p. 216, adn. 2) putat, *Philocratem* in concione ea de foedere dixisse, quae Demosthenem dixisse Æschines in or. in Ctes. § 72 criminetur.

2) In or. F. L. tantummodo dixit Æschines, Demosthenem dixisse, se rogaturum esse, ut populus in duabus illis concionibus de pace et foedere *deliberaret* (§ 53: *ἐκκλησίαν ἐπὶ δύο ἡμέρας ποιεῖν μὴ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης ἀλλὰ καὶ περὶ συμμαχίας*); sed Demosthenem, *quum* populus deliberaret, foedus una cum Philocrate *suasisse*, id in or. F. L. numquam contendit Æschines, licet nihil magis aptum futurum fuerit quam ibi id commemorare, quippe ubi omni vi enitatur ut demonstret, Demostheni fuisse cum Philocrate in pace componenda commercium.

Schaeferus quidem scripsit (Dem. u. s. Z. II: p. 216 adn. 2) Æschinem in or. F. L. numquam ausum esse dicere, "dass Demosthenes nur *ein Wort* zu gunsten *der Philocrateischen Anträge* gesprochen habe"; sed hoc ita accipiendum est, ut in illa oratione numquam dixerit Æschines, Demosthenem *eas* Philocratis rogationes suasisse, quibus neque Phocensibus Halensibusque pacis communio daretur, neque aliis civitatibus trium mensium spatium prorogaretur. — Nam Demosthenem fuisse Philocratis socium, id in illa quoque oratione multis locis Æschines insimulat, velut §§ 14, 15; § 19: *ἦν Φιλοκράτους ἑταῖρος* — ibid. § 20: *ἡ . . ἐξ ἀρχῆς ἔνστασις τῶν ὅλων πραγμάτων ἐγένετο οὐ δι' ἐμοῦ, ἀλλὰ διὰ Δημοσθένους*

mosthenes; numquid est cur reprehendendus videatur? Nam de foedere nihil scriptum fuit in decreto sociorum, neque dubitari potest, quin socii, si foedus prorsus repudiandum censuissent, id in decreto significaturi fuerint[1]). An quum decrevisset populus, pacem esse faciendam, tum Athenienses oportuit etiam levioris momenti res petenti Philippo denegare, quamque ipsi paene necessariam censebant pacem, eam isto modo impedire? Non aequum fuit, de levioribus rebus, velut de foedere, morem gerere Philippo, quo facilius in aliis, et iis majoris momenti, id quod vellent sibi impetrarent, si quidem componenda erat controversia, non ferro disceptanda? Quamquam si hoc Æschini reprehendendum videtur, non est mirandum; praesertim quum, quod Demosthenes, suum in Philippum odium saluti reipublicae posthabendum ratus, duas legationes in Macedoniam ad commoda reipublicae tuenda suscepit, ne id quidem Æschinem tacite tulisse videamus[2]).

καὶ Φιλοκράτους — § 20: (*Δημοσθένην*) *ᾔδειν συνείποντα μὲν Φιλοκράτει* . . . *προβληθέντα δ' εἰς τὴν πρεσβείαν ὑπὸ Φιλοκράτους* — § 54: *τὴν ἀνωμαλίαν* (*Δημοσθένους*) *καὶ τὴν τῶν πραγμάτων μετὰ Φιλοκράτους κοινωνίαν* — § 56: *τὴν κοινωνίαν τῶν περὶ τῆς εἰρήνης πράξεων οὐκ ἐμὴν καὶ Φιλοκράτους, ἀλλὰ Δημοσθένους καὶ Φιλοκράτους εὑρίσκετε.*

1) Boehneckio (Forsch. I: p. 392) reprehendendus videtur Demosthenes; repugnant Frankius (Prolegg. p. 23) et Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: 208), et quidem jure. Nam sociis ipsis bene erat cognitum, Philippum foedus optare; siquidem in epistola, cum legatis Atheniensium e Macedonia domum profectis missa et coram populo recitata, (Dem. F. L. § 40; Æsch. F. L. §§ 45, 50) id diserte scripserat Philippus. Quod si ita est, nemo est quin videat, socios, si foedus Philippo denegandum censuissent, id diserte in decreto scripturos fuisse. Calumniatur igitur Æschines, quum in or. in Ctes. §§ 69, 71 insimulat, socios populumque a foedere sanciendo abhorruisse.

2) Æsch. in Ctes. § 73: *ὁ γὰρ μισαλέξανδρος καὶ μισοφίλιππος ὑμῖν οὑτοσὶ ῥήτωρ δὶς ἐπρέσβευσεν ἐν Μακεδονίᾳ, ἐξὸν μηδὲ ἅπαξ, ὁ νυνὶ κελεύων τῶν Μακεδόνων καταπτύειν.*

III.

Ac de duabus illis concionibus satis dictum esse arbitror; neque vero crimina ab altero oratore in alterum de Cersoblepte collata non multas afferunt difficultates. Id quidem constat, paucis diebus postquam pax a populo esset constituta, aliam concionem esse habitam; qua finita socios Atheniensium coram Philippi legatis in pacem jurasse[1]). In illa concione Demosthenem summo studio operam dedisse, ut Cersobleptes a pace composita excluderetur, Æschines in or. de F. L. criminatur. Quippe in illa concione Critobulum Lampsacenum dixisse, esse se a rege Cersoblepte missum, ut regis nomine coram Philippi legatis in pacem juraret. Tum Aleximachum quendam ad populum tulisse, ut Crito-

1) Illam concionem die XXIV mensis Elaphebolionis esse habitam, Æschines in oratione in Ctes. bis affirmavit (§ 73: *ὃ δὲ ἦν ὑπόλοιπον αὐτοῖς, Κερσοβλέπτην καὶ τὸν ἐπὶ Θρᾴκης τόπον ἔκδοτον ποιῆσαι, καὶ τοῦτ' ἔπραξαν ἕκτῃ φθίνοντος τοῦ ἐλαφηβολιῶνος.* Ibid.: *εἰς δὲ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν τῇ ἕκτῃ λέγω, καθεζόμενος βουλευτὴς ὢν ἐκ παρασκευῆς, ἔκδοτον Κερσοβλέπτην μετὰ Φιλοκράτους ἐποίησε*). — In Æschinis oratione F. L. § 82 scriptum est: *ἐκκλησία γίγνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης ὁ νυνὶ κατηγορῶν ἐμοῦ λαγχάνει προεδρεύειν,* et paullo post (§ 90): *ἀκούσατε δὴ τῆς Χάρητος ἐπιστολῆς, ἣν ἐπέστειλε τότε τῷ δήμῳ, ὅτι Κερσοβλέπτης ἀπολώλεκε τὴν ἀρχὴν καὶ Ἱερὸν ὄρος κατείληφε Φίλιππος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος· Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς εἷς ὢν τῶν πρέσβεων, ἑβδόμῃ φθίνοντος.* Haec autem cum iis, quae eadem de re in or. in Ctes. scripta sunt, pugnare, unicuique patet (cfr Westerm. Qu. Dem. III: p. 44; Winiewsk. Comment. p. 100, adn.; Boehn. Forsch. I: p. 398: 5; Grot. Hist. XI: p. 548: 3). Quare Spengelius, ut hanc repugnantiam tolleret, ordinem verborum in or. F. L. hoc modo immutavit: *Ἱερὸν ὄρος κατείληφε Φίλιππος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἑβδόμῃ φθίνοντος· Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς, εἷς ὢν τῶν πρέσβεων, ἕκτῃ φθίνοντος.* Vide Rhein. Mus. II: 380: 2; Spengelium secuti sunt A. Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: 230, adn. 3) et Fr. Frankius (Praef. ad Æsch. orat. — Lips. MDCCCLX — pag. XIII). — Aliis alia placent; vide Voemelii Prolegg. ad Or. de Pace, p. 257, adn. 2; Winiewskii Comment. p. 318, adn.

bulo liceret jusjurandum Cersobleptis nomine dare. Demosthenem vero negasse, se populum de hac re in suffragia missurum; Cersobleptem enim non posse in numerum sociorum adsciscі, ut non pax cum Philippo inita violaretur. Sed invidiam populi exortam; populumque, frustra adversante Demosthene in suffragia missum, Aleximachi rogationem accepisse [1].

Dolendum est, quod haec criminatus est Æschines nulla refellendi potestate Demostheni data; quod nisi ita fuisset, et si ad has criminationes esset a Demosthene responsum, fortasse nobis licuit dijudicare, quid in tota hac re verum esset. Ut nunc est, quum nullum exstet Demosthenis responsum, probabilia sequamur necesse est. Et mihi quidem totam rem diligenter consideranti multa sane occurrunt, cur non multum his Æschinis criminationibus tribuendum esse censeam. Nihil dicam de incomposita illa et obscuritatis plena dicendi ratione, ab Æschine in hac orationis parte quasi de industria adhibita [2]; quae tanta est, ut, quotquot de hac re se ad Æschinis auctoritatem conferrent, ii quasi de fumo ad flammam venerint. Nam quum ad rem dijudicandam statuissent, haec esse ab Æschine ad veritatem dicta, tamen, quaenam ex his propositis efficerentur, inter eos convenire non potuit [3]. Verum haec missa

1) Æsch. F. L. §§ 83, 84.

2) Cfr Frankii Prolegg. p. 28.

3) Boehneckius (Forsch. 1: p. 399) et Bruecknerus (Kön. Phil. p. 166) putant, Aleximachi rogationem non fuisse populi suffragiis comprobatam; et Boehneckius, paullo longius progressus, affirmat, Critobulum, nihilominus jusjurandum dare volentem, a Praetoribus Atheniensium esse repulsum. Ad suam sententiam probandam epistolam Philippi attulit (vide Dem. Or. ex rec. Ddorfii, Vol. I: XII), in qua (§ 8) scriptum est, praetores Atheniensium Critobulum a jurejurando prohibuisse.

At multa sunt, quae contra disputare liceat. Nam primum quidem illam epistolam pro spuria esse habendam, inter omnes fere constat [vide

facio; etiam illud praeteribo, verendum esse ne totam hanc accusationem Æschines confinxerit, ut animos judi-

Taylor. adn. ad Dem. Ol. II: § 20; Stechow. Vit. Æsch. p. 42; Funkhaenel. Quaest. Dem. pp. 34 seq.; Benseler. de Hiatu, pp. 83 seq.; G. H. Schaef. app. crit. ad Dem. Vol. I: p. 672; Ddfii adn. ad Dem. Vol. V, p. 216; Westermanni Ind. Or. Dem. p. 315; A. Schaeferi Dem. u. s. Z. III: pp. 103 sequ.; — tantummodo Boehneckius (l. c. pp. 461 sequ.) Winiewskius (Comment. p. 191) et Rehdantzius (Dem. orationes selectae, Lips. 1860, p. 49) illam epistolam in suspicionem vocandam negarunt]. Deinde conjectura illa, qua populus Aleximachi rogationem repudiasse putatur, ipsius Æschinis verbis repugnare videtur; dixit enim Æschines (F. L. § 86) *ἐψηφισμένου τοῦ δήμου*, et (ibid. § 84) *ἄκοντος αὐτοῦ* (*Δημοσθένους*) *τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη*. Cfr Frankii Prolegg. p. 29; Grot. Hist. XI: 550, adn.; Schaef. Dem. u. s. Z. II: 228, adn.

Fere reliqui omnes, qui veri aliquid putarunt subesse his Æschinis criminationibus, in eo consentiunt, quod Aleximachi rogationem a populo comprobatam putant. Exoritur his omnibus quaestio subdifficilis: quomodo factum sit, ut Critobulus a jurejurando prohiberetur, cui aditum ad jusjurandum populus suis suffragiis dedisset. In qua re explicanda statim maxima coorta est dissensio. Lachmannus (Gesch. Griechenlands II: p. 96, adn. 37) putat, fieri potuisse, ut *praetores Atheniensium* Critobulum a jurejurando repellerent. Ad hanc sententiam refellendam satis erit monere, vix quemquam intelligere posse, quomodo praetores potuerint id, quod jusserat populus, in ipsius populi conspectu negligere, ita ut Critobulum contra populi voluntatem a jurejurando dando prohiberent (cfr Æsch. F. L. § 86).

Thirlwallum (V: p. 356) hoc non fugit; quare rem alio modo expedire conatus est, et quidem ita, ut diceret Critobulum, aditum ad jusjurandum e populiscito sibi postulantem, a *Philippi legatis* tulisse repulsam. At illa quoque sententia magnam habet difficultatem; nam quantum et ex Æschinis et e Demosthenis orationibus videre licet, non morati sunt Philippi legati, quominus ad Cersobleptem pax pertineret; tantummodo recusarunt, ne Phocensibus et Halensibus aditus ad pacem et foedus pateret. Vide Dem. F. L. §§ 321, 159; Æsch. F. L. § 82: *ἐν ἐκείνῃ μὲν οὖν τῇ ἡμέρᾳ, ᾗ ὑμεῖς ἐψηφίσασθε τὴν εἰρήνην, οὐδεμία μνεία ἐγένετο περὶ Κερσοβλέπτου.*

Doctissimorum virorum dissensionem non est quod mireris; nam totam rem adeo conturbavit Æschines, ut ne ipse quidem potuerit dicere, cujus culpa factum sit, ut Cersobleptes a jurejurando pacisque communione prohiberetur. Equidem fateor me Æschini fidem *fuisse habiturum*, ita ut putarem, Aleximacho, quum suam rogationem proponeret, adversatum esse Demosthenem, — *si* ulla excogitari posset caussa, cur Demosthenes id faceret. Nec desunt, qui putent, Demostheni justam fuisse caus-

cum ab ea re abduceret, de qua maxime conquestus erat

---

sam, cur Aleximacho adversaretur; negant enim, Cersobleptem fuisse Atheniensium socium; quare quum pax ita convenisset, ut sociis Philippi et Atheniensium pacis aditus pateret, Cersobleptem, qui non esset Atheniensium socius, non potuisse in pacis communionem recipi, quin pax ipsa violaretur. Verisimile igitur esse, Demosthenem contra Aleximachum suasisse, ne Cersobleptes pacis foederi adscriberetur, quippe qui neque pace contineretur, neque omnino servari posset, nisi singulari quadam cum Philippo pactione, quam ut cum Philippo in secunda legatione inirent, legatis Atheniensium injunctum fuisse. (Vide Thirlw. V: 356; Schaef. II: pp. 167, adn. 3; 229, 230; cfr Wolfii adn. ad Æsch. F. L. § 84 — in Or. Att. ed. Dobson. Vol. XII: p. 117).

Si verum esset, quod illi disputant (Cersobleptem non fuisse Atheniensium socium), et Demosthenes et quisquis pacem initam servare volebat, jure Aleximachi rogationem dissuasisse mihi videretur. At Cersobleptes erat socius Atheniensium, quantum et ex Æschinis et e Demosthenis verbis videre licet (Dem. de Cor. § 27: *τῶν Θρᾳκῶν, τῶν ὑμετέρων συμμάχων* — Phil. IV: § 8: *Κερσοβλέπτην, σύμμαχον ὄνθ' ὑμῶν.* — Æsch. in Ctes. § 61: *Κερσοβλέπτην —— ἄνδρα φίλον καὶ σύμμαχον τῇ πόλει* — F. L. § 9: *Κερσοβλέπτην, ἄνδρα φίλον καὶ σύμμαχον τῆς πόλεως*). Quod si ita est, nulla fuit caussa, cur Demosthenes Aleximacho adversaretur; quare fateor, mihi quidem Æschinem hoc loco mentitum videri, ita ut putem, neque ullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum, neque Aleximachum ullam tulisse rogationem, de qua populus in suffragia missus sit. Nam in oratione in Ctes. (§ 74) diserte negat Æschines, ullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum, qui aditum ad jusjurandum postulare posset. Accedit, quod narravit Ulpianus, quum haud ita multo post pacem factam Athenienses a Philippo impetrare vellent, ut Cersobleptes pacis foederi adscriberetur, tum Philippum neque negasse Cersobleptem fuisse Atheniensium socium, neque de Critobulo a Demosthene vel praetoribus Atheniensium vel ipsius Philippi legatis repulso quidquam respondisse; tantummodo id dixisse Philippum sui purgandi caussa, se Cersobleptem in pacis societatem recipere non posse, quippe quem ipse subegisset antequam jusjurandum dedisset (vide Ulpian. ad Dem. F. L. § 162; cfr Dem. orat. de F. L. ed. Shilleto, pp. 30, 99). Hoc non responsurum fuisse Philippum, si Æschines de Critobulo et Aleximacho vera narrasset, nemo est quin videat; siquidem nihil potuit Philippo commodius esse et ad se purgandum et ad Æschinem et Philocratem defendendum, quam respondere, se Cersobleptem in pacis communionem recipere non posse, "quippe quem ipsi Athenienses" (Boehn. Forsch. I: 399: 3) vel "praetores Atheniensium" (Lachm. Gesch. II: 96) vel "ipsius legati" (Thirlw. V: 356) "jam in illa concione a pacis communione repulissent", vel — quod aliis placet — "quippe qui tum, quum pax iniretur,

Demosthenes[1]); quod quum ipsum per se non a natura et indole Æschinis abhorret, tum etiam eo verisimile fit, quod totam hanc accusationem Æschines repetivit a criminatione quadam, si Æschinem audimus, prolata a Demosthene in judicio, sed de qua dubitari possit, num a Demosthene umquam prolata sit, quippe quae et videatur insulsa, neque in oratione Demosthenis inveniatur[2]). Nullam in te, Æschine, suspicionem ne inde quidem commovebo, quod tu, licet omnia summa feceris ad Demosthenem calumniandum, tantummodo id dicere ausus es, Demosthenem a pace et foedere Cersobleptem excludere *voluisse*[3]). Relin-

pro socio Atheniensium habendus non esset" (cfr A. Schaef. l. c., Wolf. l. c., et Thirlw. l. c.). Quae quum ita sint, haud scio an diserte negare liceat, Aleximachum in illa concione ullam de Cersoblepte rogationem tulisse, de qua populus in suffragia missus sit; quod inde quoque suspicari licet, quod Æschines nullum populi de Aleximachi rogatione decretum recitari jussit, quo rem suam probaret.

Nullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum, falsaque esse ea, quae Æschines de hac re in or. F. L. commemoraverit (quum in or. in Ctes. longe aliter rem tractaverit, et quidem ita, ut minus Demostheni repugnet) aliis quoque placet [vide Frankii Dem. Or. Phil. Novem, p. 283; Prolegg. p. 30; Elspergeri de pace Philocr. comment. p. 20; Westermanni Quaest. Dem. III: p. 45]; quin etiam Schaefero, qui Cersobleptem Atheniensium socium fuisse negaverit (II: 167), haud incredibile videtur (II: 229, 230, 231).

1) Haec est Brueckneri sententia (Kön. Phil. p. 166).

2) Æsch. (F. L. § 86) hoc modo loquitur: *τετόλμηκε δὲ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ὁ κατήγορος, ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κριτόβουλον ἀπήλασα τὸν πρεσβευτὴν τὸν παρὰ Κερσοβλέπτου κ. τ. λ.* At de hac re ne unum quidem verbum scriptum est in Demosthenis oratione F. L.; quod quum videret Boehneckius, Demosthenem alia dixisse alia scripsisse putavit (Forsch. I: p. 399, adn. 5). Repugnat Frankius (Prolegg. p. 28). Id quidem patet, Demosthenem, si quid ejusmodi dixerit, calumniatum esse; sed in Demosthenis orationibus nullum invenitur vestigium, quo significetur, Demosthenem quidquam habuisse, quod Æschini de Cersoblepte prodito exprobratum vellet ante secundam legationem. Cfr Westermanni Quaest. Dem. III: p. 45; Frankii Prolegg. p. 29; Brueckn. Kön. Phil. pp. 166, 167.

3) Dixit quidem Æschines: "*Δημοσθένης φαίνεται τῆς συμμαχίας*

quo haec omnia; nam alia in promptu sunt argumenta, quibus demonstrari possit, ea, quae in oratione F. L. dixisti, etsi non multum a tua criminandi consuetudine, tamen a veritate longe abhorrere. — "Cersobleptem a pace et jurejurando excludere voluit Demosthenes." — Dii approbent! Habemus Demosthenem non modo proditionis sed etiam maximae inconstantiae convictum! Nam quem Demosthenes in illa concione voluit deserere et Philippo subigendum concedere, eum ne Philippus in ditionem suam redigeret, paucis diebus post impedire studuit idem Demosthenes, quod mox apparebit. Sed tamen tu, Æschine, quum in priore tua oratione et de Cersobleptis legato, regis nomine pacis societatem postulante, et de Demosthene, magna voce adversante, commemorasses, cur in oratione in Ctesiphontem non modo nihil ejusmodi narrasti, sed diserte negasti, ullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum?[1]) Non tibi in mentem venit, te alias aliter iisdem de rebus narrando nihil aliud consequi, quam ut ipse fidem tibi deroges? Mihi quidem in hac tanta Æschinis et tam turpi inconstantia una rei tractandae via restare videtur; necesse est audiamus Demosthenem. Et quantum e Demosthenis orationibus con-

---

ἐκκλείων αὐτὸν" F. L. § 85; et "*τὸν Κερσοβλέπτην ἔκσπονδον ἐποίεις*", ibid. § 93. At in illis verbis *ἐκκλείων* et *ἐποίεις* tantummodo illam conandi significationem inesse (Krueg. Griech. Sprachl. I; § 53: 2:.2; Rost. Griech. Gram. § 116, 8: adn. 5), monuit A. Schaeferus (Dem. u. s. Z. II: p. 230, adn. I). Idem placet Frankio (Prolegg. p. 30).

1) In or. Ctesiphontea (§§ 73—75) longe aliter rem narravit Æschines. Nam quum in or. F. L. de Critobulo Cersobleptis legato aditum ad jusjurandum postulante narrasset, in or. in Ctes. nullam de Critobulo mentionem fecit; immo prorsus negavit, ullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum. In or. F. L. dixerat, Demosthenem aperte et magna voce concionantem operam dedisse, ut Cersobleptes a pace excluderetur; hic affirmat, id Demosthenem clandestinis machinationibus, non aperte, molitum esse, ita ut populum prorsus fugeret, Cersobleptem a pacis societate prohiberi (l. c. *λανθάνει γὰρ κ. τ. λ.*). Praeclaram constantiam!

jectura assequi licet, non videtur Æschines de Demosthene Aleximachum et Critobulum repellente ad veritatem narrasse[1]). Hoc quum e Demosthenis orationibus effici videatur, quumque ab ipso Æschine in oratione in Ctes. diserte affirmetur, nullum Athenis adfuisse Cersobleptis legatum, vix potest cuiquam dubium esse quin, quae in oratione F. L. de Critobulo et de Aleximacho Æschines et a re aliena et a fide abhorrentia commemoravit, ea ab Æschine conficta sint ad calumniandum Demosthenem.

Reliquum est jam, ut illud quaeramus, cum constet, nullum in illa concione adfuisse Cersobleptis legatum, numquid commiserit Demosthenes, qui, quum in illa concione Philocrates tulisset, ut socii in pacem jurarent, de illa roga-

---

1) Demosthenes de illa concione nullam fecit mentionem, sed ubicunque in Cersobleptem incidit sermo, affirmat, ad pacem aditum ei patuisse, neque quidquam prohibiturum fuisse, quominus pacis communione uteretur et hoc modo servaretur, nisi proditio intervenisset [Dem. de Cor. §§ 27, 30; F. L. §§ 8, 17, 174 (ubi vide Reiskii adn. — in Dem. ex rec. Ddorfii, Vol. V: p. 541; cfr A. Schaef. Dem. u. s. Z. II: 229), 161, 164, 165, 179, 181, 334, 335]. Eodem fere modo Æschines in or. in Ctes. (l. c.): "nihil prohibuisset, quin Cersobleptes, *socius Atheniensium*, servaretur et pacis communione uteretur, nisi proditio intervenisset"! Quae quum ita sint, unicuique liquet, nullam in illa concione exortam esse controversiam de Cersobleptis societate, Æschinemque in or. F. L. id narrantem non vero stetisse.

Nullum vero Cersobleptis legatum, pacis communionem regis nomine petentem, in illa concione adfuisse, falsaque esse ea, quae Æschines in or. F. L. de hac re narraverit, inde colligere licet, quod neque ullo Demosthenis loco significatur, et ab Æschine in or. in Ctes. diserte negatum est (§ 74). Adde quod ab auctore argumenti alter. ad Dem. or. F. L. scriptum est, Demosthenem maturatam legatorum profectionem eo consilio postulasse, ut Cersobleptem convenirent, quo copia in pacem jurandi Cersoblepti daretur (l. c.: *λέγει* (*Δημοσθένης*) *τοῖς Ἀθηναίοις ταχέως δοῦναι τοὺς ὅρκους, καὶ μὴ παρόντος Κερσοβλέπτου· ἔλεγε γὰρ ὅτι εἰς τὴν Θράκην ἀπερχομένων ἡμῶν παρέξει τοὺς ὅρκους ὁ Κερσοβλέπτης*). In eadem sententia est Voemelius (Prolegg. ad Dem. Or. de Pace, p. 252). Hoc non spectaturum fuisse Demosthenem, si quis Cersobleptis legatus Athenis adfuisset, nemo est quin videat.

tione populum in suffragia mitteret[1]). — "Nimirum duplici modo vituperandus est; nam et novum dedit factae cum Philocrate societatis documentum, et Cersobleptem, cujus tum nullus aderat legatus, illo modo a pace exclusum et ope Atheniensium destitutum prodidit[2])." — Videamus igitur, num melius futurum fuerit, Athenis rem in incertum differre et legatum Cersobleptis opperiri, quam, quod suasit Demosthenes, nulla mora interposita in Thraciam proficisci et cum Philippo agere de Cersoblepte in pacis foederisque societatem recipiendo. Quod non difficile erit dijudicatu, consideratis iis, quae paullo ante disputavimus[3]). Illo tempore in dies erat infestius Cersobleptis regnum. Quum enim legati Atheniensium e Macedonia Athenas reverterentur, Philippus instructo exercitu in Thraciam profectus est, ut Cersoblepti bellum inferret[4]); neque erat dubium, quin pro sua consuetudine rem strenue esset gesturus. Credo, in hoc Cersobleptis discrimine Atheniensibus non modo cunctari licuit; ad Cersobleptis salutem maxime interfuit, ne quidquam agerent Athenienses, donec venisset aliquis legatus Cersobleptis; num fieri posset, ut, dum opperirentur Athenienses Cersobleptis legatum, ipsum Cersobleptem

---

1) Hoc modo in oratione Ctesiphontea (§§ 61, 73, 74) accusationem instruxit Æschines. Atque Æschinem, de illa concione jurisjurandi caussa habita et de Cersoblepte narrantem, minus in or. in Ctes. quam in or. F. L. a veritate deflexisse, haud scio an inde quoque apparet, quod in or. F. L. nullis tabulis publicis crimina comprobare conatus est, sed tantummodo viros nonnullos testes citavit (F. L. § 85). Contra in or. in Ctes. tabulis publicis recitandis comprobat, et Philocratem promulgasse rogationem de sociis eodem die jurejurando adstringendis, et Demosthenem populum de illa rogatione in suffragia misisse. Deinde quasi gavisus, quod liceret tabulis publicis demonstrare, se ad veritatem dixisse: *καλὸν*, inquit, *καλὸν ἡ τῶν δημοσίων γραμμάτων φυλακὴ* (in Ctes. § 75).

2) Æsch. in Ctes. §§ 73—75.

3) Vide pp. 19, 20.

4) Æsch. F. L. § 82; in Ctes. § 65.

Philippus in ditionem suam redigeret, id videlicet non considerandum! Ne multa: quum jam inter Philippum Atheniensesque convenisset, uti tum, quum pax sanciretur, possiderent, ut ita possiderent nihil debuit Atheniensibus esse antiquius, si Cersobleptem servatum volebant, quam ut quam citissime et ipsi in pacem jurarent, et, legatis in Thraciam missis, Philippum jurejurando adstringerent, quo pax sanciretur priusquam ille Cersobleptem in suam potestatem redegisset. Nam quidquid ante pacem sancitam occupasset Philippus, id eum suo jure ad se vindicaturum, facile erat videre; si quidem Philippum loca illo modo occupata Atheniensibus condonaturum, neque e pacis conditionibus sperare licuit, et a moribus Philippi prorsus abhorrebat[1]. Quod si ita est, non reprehendendus videtur Demosthenes, qui ad pacem maturandam et finem expugnationibus Philippi faciendam de Philocratis rogatione populum rogaverit sententiam; satisque de his Æschinis criminationibus dictum esse arbitror. Vereor enim, ne ingeniis legentium videar diffidere, si de illa Demosthenis, ut Æschines indicat, cum Philocrate societate plura disputem, quum propter ea, quae ante disputata sunt, vix possit cuiquam esse obscurum, ad utrum illa suspicio pertineat.

Exposui fere, ut potui, varias Æschinis in Demosthenem de Cersoblepte criminationes. Summa illuc pertinet, ut appareat, si Cersobleptes nulla fuisset societate cum Atheniensibus conjunctus, potuisse aliquid veri subesse Æschi-

1) Cfr quae disputarunt Groteus (XI: 557), Thirlwallus [V: 354: "There was room indeed to apprehend that such a delay would afford Philip a pretext for invading the Chersonesus, which he had not promised to spare as long as it might suit the interests of the Athenians to keep the negotiation in suspense"], A. Schaeferus (II: 225), Elspergerus (de pace Philocr. p. 20), Brücknerus (Kön. Phil. pp. 169, 170). Iisdem de rebus Demosthenes in or. de Cor. §§ 26, 27 locutus est.

nis criminationibus; tantumque abesse ut tum reprehendendus fuerit Demosthenes, ut Aleximachi rogatio unicuique dissuadenda fuisse videatur†). Age porro: vidimus totam rem, ab Æschine in or. F. L. commemoratam, a fide abhorrere, quum neque liceat negare, Cersobleptem fuisse Atheniensium socium, et Æschines in oratione in Ctesiphontem longe aliter iisdem de rebus narraverit, et quidem ita, ut minus Demostheni repugnet; neque vero in oratione Ctesiphontea justam ab Æschine allatam esse caussam, cur Demosthenes reprehenderetur. Quoniam igitur ex his rebus tamquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio, nunc reliquae disputationis cursum teneamus, quo intelligatur, justene an injuste Demosthenes Æschinem reliquosque legatos proditionis in secundo ad Philippum itinere commissae accusaverit[1].

Jamdiu Athenienses sociique Atheniensium in pacem juraverant; restabat, ut Philippus quoque jurejurando adstringeretur. Quod ut fieret, decem illi legati, qui priorem legationem obierant, ad alteram legationem electi erant; in qua administranda nisi properarent, periculum erat, ne et debellaretur Cersobleptes et alia Thraciae loca, praesidiis Atheniensium firmata, caperentur[2]. Hi, quorum e celeritate tot tantaque reipublicae commoda pendere videbantur, quid audent? Cunctantur proficisci![3]) *Rogante Demosthene*, totiusque rei arbitrium populo ad senatum deferente, senatusconsultum fit, ut legati *quam citissime* ad Philippum pro-

†) Vide p. 60, adn.

1) Dem. F. L. § 8; ibid. § 161; de Cor. §§ 25—31.

2) Dem. de Cor. §§ 26, 27. Assentitur Æschines, in Ctes. § 66. Cfr Westermanni adn. ad Dem. de Cor. § 25, et verba Demoshenis in or. F. L. § 164. Uberiora invenies in libris Flathei (Gesch. Maced. I: p. 202), Grotei (XI: p. 557) et Winiewskii [Comment. p. 79].

3) Dem. F. L. § 154: οὗτοι δ' οὐκ ἀπῄεσαν, ἀλλ' αὐτοῦ διέτριβον.

fecti curent, ut pax jurejurando confirmetur[1]). Quid deinde? Qui paullo ante iter in Macedoniam decem fere dierum spatio confecerant, iidem illi nunc plus alterum tantum

---

1) Dem. de Cor. § 25: *ἐγὼ . . . ἔγραψα . . . ἀποπλεῖν τὴν ταχίστην τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνωνται, καὶ τοὺς ὅρκους ἀπολαμβάνειν· οὗτοι δὲ οὐδὲ γράψαντος ἐμοῦ ταῦτα ποιεῖν ἠθέλεσαν.* F. L. § 154: *γράφω ψήφισμα βουλεύων, τὴν βουλὴν ποιήσαντος τοῦ δήμου κυρίαν, ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις τὴν ταχίστην, τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται.* De verbis illis *τὴν βουλὴν . . . κυρίαν* vide Grevii adn. ad hunc locum (in Dem. ex. rec. Ddrfii, Vol. V: p. 535), et Boeckhii Staatshaush. II: p. 53: plura invenies in libro Schoemanni de Com. Athen. p. 95.

De hoc populi decreto Æschines quoque mentionem fecit, F. L. § 91; affirmat hoc decretum die tertio mensis Munychionis scriptum esse. Ex ipso igitur Æschine audire licet, legatos, jam ante diem XXIV Elapheb. electos [cfr Æsch. F. L. § 82: *ἤδη δὲ ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τοὺς ὅρκους . . . ἐκκλησία γίγνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης λαγχάνει προεδρεύειν.* — Cfr in Ctes. §§ 73, 74], a die XXIV Elapheb. usque ad diem III Munych. domi cunctatos esse.

Praeterea monendum est, Æschinem — ut exspectandum erat — non totum decretum recitasse, sed tantummodo decreti partes. Nam si decretum cum fide recitasset, judices docuisset, et Demosthenem fuisse hujus decreti auctorem, et legatis hoc ipso decreto fuisse injunctum, ut quam citissime ad Philippum proficiscerentur, ubicumque esset. Quod non docuit; nam ut se contra Demosthenem defenderet, negavit, ullam sibi eo decreto impositam esse necessitatem ad Philippum in Thracia commorantem proficiscendi (F. L. § 98). At id ipsum legatis injunctum fuisse decreto recitando luculenter demonstravit Demosthenes (F. L. § 154; de Cor. § 28).

Æschinem non totum decretum recitasse etiam inde apparet, quod, quum (F. L. § 91) decretum recitasset, tamen addidit: *προσανάγνωθι καὶ τὸν χρόνον, ὅστις ἦν.* Quo die decretum scriptum esset, id igitur aperuit; quis auctor esset, ne manifestum fieret, cavendum putavit (cfr A. Schaef. Dem. II: 234, adn. 2; Grot. Hist. XI: 558, adn. 1). Exstant alia quoque astutiarum vestigia. Dixit enim Æschines: (*τὸ τῆς βουλῆς*) *ψήφισμα, ὃ κελεύει ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς ὅρκους. καὶ μοι λέγε τὸ ψήφισμα.* Nimirum ne quid contra decretum commisisse videretur, verba illa "*τὴν ταχίστην*" (Dem. F. L. §§ 150, 154; de Cor. § 25) erant omittenda, praesertim quum facere non posset, quin confiteretur, se diu Athenis iter in Macedoniam procrastinasse (ibid.: *οὐ μόνον . . . διετρίψαμεν τὰς λοιπὰς ἡμέρας τοῦ μηνός, ἀλλὰ μουνυχιῶνος ἐξωρμήσαμεν*).

temporis itineri tribuunt, licet quam maxime maturato opus esset[1]). Eodem senatusconsulto erat constitutum, ut Proxenus — nam is naves Atheniensium apud Oreum in statione habebat — legatos, quum Oreum venissent, eo trajiceret, ubi Philippum versari compertum esset[2]). Hoc quum Demosthenes rogasset et senatus decrevisset, ut deesset Philippo fraudandi spatium[3]), legati id praevertendum putantes, quum Oreum venissent, navigandi consilium abjiciunt; terrestri itinere per anfractus viarum Pellam contendunt, quo plus spatii detur Philippo[4]). Pellam igitur post tres et viginti dies venerunt; aberat etiamtum Philippus in Thracia, bello occupatus. Quid censes? Exspectas fortasse nonnihil temporis de industria in itinere parando consumptum, deinde

1) Legati in priore itinere non recta via Pellam petiverant. Nam Euboeam quum navigassent, inde trajecto mari Halum, Thessaliae urbem, venerunt; unde per castra Parmenionis profecti et in altum rursus provecti ad Pagasas navem appulerunt; tum terrestri itinere Pellam petiverunt (Dem. F. L. § 163; Boehn. Forsch. I: p. 386). Tamen decem fere diebus iter in Macedoniam absolverunt (Schaef. Dem. II: 182, adn. 1; idem effici potest e Winiewsk. Comment. p. 365; Boehn. Forsch. 1: 733; Dem. or. de Cor. § 30; Frank. Dem. or. Phil. Novem, p. 282). In posteriore itinere, quum et maturato opus esset et rectâ via ad Philippum proficisci liceret, *tres et viginti* dies consumpserunt. Vide Dem. F. L. § 155.

2) Dem. F. L. § 154; cfr Schaef. Dem. II: 177.

3) Stechowius quidem scripsit (vit Æsch. p. 44): "Demosthenes mentitur, aut si mavis, loquacius gloriatur, idcirco se hoc suasisse, quia praescivisset, quid futurum esset, si minus iter festinarent legati." — At verius Brücknerus (Kön. Phil. p. 170): "Bezweifeln liesse sich vielleicht, ob Demosthenes den Rathsbeschluss, der den Gesandten Beschleunigung ihrer Reise gebot, wirklich auf die Weise und in der Absicht verfasste, wie er angiebt, ob nicht vielleicht nur von schneller Abreise der Gesandten die Rede war. Allein er lässt selbst den Beschluss vorlesen, nachdem er ausfürlich über Absicht und Inhalt gesprochen hat. Auch äussert Æschines nichts gegen denselben."

4) Dem. F. L. § 155. Æschines quum a legatis fuisse cessatum negare non audeat (F. L. § 98), simulat celeritatem legatorum nihil fuisse profuturam; de qua re mox videro.

Thraciam, ut antea Pellam, longo circuitu et minutis itineribus petitam. Noli usquequaque idem quaerere! Nulla minuta itinera, nullae viarum ambages; nam Pellae se mansuros, neque ullum in Thraciam ad Philippum iter suscepturos, id missis ambagibus optimi illi viri affirmant, Demosthene frustra exhortante, obsecrante, increpante. Sedent igitur Pellae septem et viginti dies compressis manibus, reditum Philippi opperientes [1]). Interea ille occasionem datam non omisit. Doriscon, Ergiscen, Myrtenon, oppida et castella in ora maritima Thraciae sita, occupat; expugnat Serrhion, castellum militibus Atheniensium occupatum [2]).

---

1) Dem. F. L. § 155: *ἀμελήσαντες οὗτοι τοῦ πλεῖν καὶ τὰ προστεταγμένα πράττειν ἐπορεύοντο κύκλῳ, καὶ πρὶν εἰς Μακεδονίαν ἐλθεῖν τρεῖς καὶ εἴκοσιν ἡμέρας ἀνηλώσαμεν, τὰς δ' ἄλλας πάσας καθήμεθ' ἐν Πέλλῃ πρὶν Φίλιππον ἐλθεῖν, σὺν αἷς ἐπορεύθημεν ὁμοῦ πεντήκονθ' ὅλας.* Ibid. §§ 156, 157: *ἐν δὲ τούτῳ Δορίσκον, Θρᾴκην, τἀπὶ τειχῶν, Ἱερὸν ὄρος, πάντα τὰ πράγματ' ἐν εἰρήνῃ καὶ σπονδαῖς ᾕρει καὶ διῳκεῖθ' ὁ Φίλιππος, πολλὰ λέγοντος ἐμοῦ καὶ θρυλοῦντος ἀεί, . . . τελευτῶντος δ' ὡς ἂν πρὸς πεπρακότας αὐτοὺς καὶ ἀνοσιωτάτους ἀνθρώπους οὐδὲν ὑποστελλομένου. ὁ δὲ τούτοις ἀντιλέγων φανερῶς καὶ ἅπασιν ἐναντιούμενος οἷς ἔλεγον μὲν ἐγὼ ἐψήφιστο δ' ὑφ' ὑμῶν, οὗτος ἦν.* Cfr de Cor. § 31. Quanta fuerit Demosthenis cum reliquis legatis discordia non modo ex his sed etiam ex ipsius Æschinis verbis videre licet. Commemoravit enim haec: *οὐδεὶς αὐτῷ (Δημοσθένει) συσσιτεῖν, ὅτ' ἐξῄειμεν ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν, ἤθελεν, οὐδὲ ἐν ταῖς ὁδοῖς, ὅπου δυνατὸν ἦν, εἰς ταὐτὸ πανδοκεῖον καταλύειν* (Æsch. F. L. § 97).

2) Dem. F. L. § 156; cfr adn. nostr. superiorem. Dem. de Cor. § 30: *ταῦτα γράψαντος ἐμοῦ τότε καὶ τὸ τῇ πόλει συμφέρον, οὐ τὸ Φιλίππῳ ζητοῦντος οἱ χρηστοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ . . . ἕως ἦλθε Φίλιππος ἐκ Θρᾴκης πάντα καταστρεψάμενος τάχει.* Æschines quum in lite Ctesiphontea timeret, ne a Demosthene vexaretur, ad audaciam jurgii petulantis magis quam publicae quaestionis descendit. Illa urbium nomina Demosthenem confinxisse per jocum contendit (in Ctes. § 82: *οὗτός ἐστιν, ὦ Ἀθηναῖοι, ὁ πρῶτος ἐξευρὼν Σέρριον τεῖχος καὶ Δορίσκον καὶ Ἐργίσκην καὶ Μυρτίσκην καὶ Γάνος καὶ Γανίδα, χωρία, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα ᾔδειμεν πρότερον*). At de Dorisco et Serrhio jam Herodotus (VII: 59, 108) audiverat; illaque loca, quippe quae et Chersoneso et Hellesponti regionibus imminerent, magna attulisse Philippi rebus incrementa, satis constat. Vide Thirlw. V: 358; Schaef. Dem.

Hieron Oros Thraciae oppidum erat, ubi praesidium Atheniensium ad auxilium Cersobleptis erat relictum; quo quum Cersobleptes se recepisset, Philippus debellatum fore ratus, si urbem cepisset, coronâ moenia cingit. Cersobleptes quum aliquamdiu obsidionem tulisset, necessario coactus ad conditiones descendit. Urbs Philippo traditur; Cersobleptes in ditionem Philippi venit. Pax petenti data; sed filius Cersobleptis, quasi quoddam obedientiae pignus Philippo traditus, documento fuit, patrem a Philippo teneri oppressum [1]). Magna Thraciae parte hoc modo, cessantibus legatis, subacta est; tum Pellam rediit Philippus.

Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, et ut ego ante dicendi finem faciam, quam eos, qui haec legant, capiat taedium, totam hanc disputationis partem, repetitam ab orationibus utriusque oratoris inter se comparatis, concludam, explicato temporum ordine et quasi uno in conspectu posito, quo facilius intelligatur, quantum temporis Philippus cessatione legatorum nactus sit ad suas res cum detrimento Atheniensium amplificandas. Menses Atheniensium hoc modo se excipiebant:

Anthesterio (XXX dierum),
Elaphebolio (XXIX dier.),
Munychio (XXX dier.),
Thargelio (XXIX dier.),
Scirophorio (XXIX dier.) [2]).

II: 233; Voemel. Prolegg. ad or. de Pace p. 260; Winiewsk. Comment. p. 127; Boehn. Forsch. I: p. 401; cfr Dem. de Cor. § 27.

1) Vide Dem. or. Phil. III: § 15; Æsch. F. L. § 89. De filio Cersobleptis vide Æsch. F. L. § 81. Cfr Voemel. Prolegg. ad or. de Pace, p. 257.

2) Vide Clintonis Fast. Hell. I: p. 324, sq. — In numero dierum singulis mensibus tribuendo secutus sum Frankium (Dem. Or. Phil. p. 282) et Voemelium (Prolegg. ad or de Pace, p. 266), qui sententiam Ideleri (Enchirid. Chronol. I: pp. 280, 383) amplectuntur.

Die Elapheb. XXIV Athenienses in pacem juraverunt[1]). Legati per novem dies Athenis cunctati sunt[2]); deinde, die Munych. IV ab urbe profecti[3]), post tres et viginti demum dies Pellam veniunt[4]), tum Pellae sex et viginti dies[5]) desides commorantur, donec Philippus e Thracia Pellam venit. Inter pacem igitur ab Atheniensibus jurejurando confirmatam et legatorum cum Philippo congressum colloquiumque novem et quinquaginta ferme interfuere dies. Quae quum ita sint, quumque constet, legatos, si maturassent, decem diebus Philippum in Thracia consequi potuisse[6]), nemo est, quin videat, quum neque cunctationem reciperent suspensae Cersobleptis res, et properationem senatus valde commendasset, legatos, neglecta et utilitate reipublicae et senatus auctoritate, quinquaginta fere dierum spatium Philippo contra jus fasque dedisse, quo magno cum detrimento Atheniensium suas res augeret.

Proditionem legatorum ut vehementer conquestus est

---

1) Æsch. F. L. § 90 (cfr p. 57, adn.), in Ctes. § 73.

2) Nam die III Munychionis nondum erant profecti, siquidem illo ipso die senatusconsulto iis injunctum est, ut proficiscerentur (Æsch. F. L. § 92; Dem. de Cor. § 27).

3) Cfr Grot. Hist. XI: 567, adn. 3.

4) Dem. F. L. § 155; die igitur circiter XXVII mens. Munych.

5) Vel septem et viginti; cfr Voemelii Prolegg. ad or. de Pace, p. 261. Demosthenes (l. c.) dixit, legatos Pellae Philippum convenisse quinquagesimo fere die postquam Athenis profecti essent. Pellam rediit igitur Philippus Thargelionis die circiter XXII (A. Schaef. Dem. II: 236) vel XXIII (Boehn. Forsch. I: p. 403); quod ex hac ratione apparebit:

dies IV—XXX Munychionis = XXVII,
dies I—XXIII Thargelionis = XXIII;
summa dierum = L.

6) Dem. F. L. § 162 (ubi testimoniis rem comprobavit); Dem. de Cor. § 30: *ἐξὸν ἡμερῶν δέκα, μᾶλλον δὲ τριῶν ἢ τεττάρων, εἰς τὸν Ἑλλήσποντον ἀφῖχθαι καὶ τὰ χωρία σῶσαι, . . . οὐ γὰρ ἂν κ. τ. λ.* Cfr A. Schaef. Dem. II: 182, adn. 1; Thirlw. Hist. V: 358; Grot. Hist. XI: 559.

Demosthenes[1]), sic his breviter expositis satis indicatam puto; sed ne quis in hac mea oratione fidem et aequitatem desideret, quumque multi fuerint, qui in hac re Æschinem defendendum censerent[2]), haud ab re erit alienum, quibus argumentis illorum virorum sententia firmari posse videtur, ea paucis verbis comprehensa ponderare. Negant, etiamsi a legatis maturatum esset, id quidquam fuisse profuturum; quippe nullo modo Philippum a Cersoblepte subigendo et Thracia occupanda fuisse temperaturum[3]). Quid ergo? satisne est hoc, ut non deliquisse videantur? An parum apparet, vel sic ad Philippum celeriter proficiscendum fuisse, ut, si Philippus a bello temperare et in pacem jurare noluisset, Athenienses quam primum a legatis de fraudibus Philippi edocti viderent, quantum fidei esset Philippo, pacis consilia simulanti, tribuendum? Quod si factum esset, Athe-

---

1) Dem. F. L. §§ 4, 6, 8, 17, 161, 164, 165, 178, 179, 181 extr., 334, 335; de Cor. §§ 30, 32. — Die Scirophorionis XIII legati domum revenerunt (Dem. F. L. § 58); sequitur ut in legatione administranda septuaginta fere dies consumpserint (Voemel. Prolegg. ad or. de Pace, p. 266). Haec monenda censui, priusquam alios Demosthenis locos proferrem, velut F. L. § 57: *ἀπεδημήσαμεν δ' ἡμεῖς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρεῖς μῆνας ὅλους* — ibid. § 158: *τρεῖς μῆνας ὅλους ἀποδημήσαντες* — de Cor. § 30: *οἱ χρηστοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ* (!) *τρεῖς ὅλους μῆνας, ἕως ἦλθε Φίλιππος* — ubi Demosthenem non vero stetisse, inter omnes constat. Vide Dem. ex. rec. Ddorfii, Vol. V, p. 503; Boehn. Forsch. I: 67; Grot. Hist. XI: 567, adn. 3; A. Schaef. Dem. II: 236, adn. 1; Shilleton. Dem. or. de F. L. pag. 37; Boeckh. Staatshaush. I: p. 337, adn. 1; Westermanni adn. ad Dem. de Cor. § 30; Lachmanni Gesch. Griechenl. II: p. 98.

2) Cfr Boehn. Forsch. I: p. 401, adn. 2; Lachmanni Gesch. II: pp. 99 sequ.; Stechow. Vit. Æsch. pp. 44 sequ.

3) Boehn. l. c.: "Haec loca legatos, si quam celerrime Thraciam navigassent et regem jurejurando adegissent. servare potuisse, Domosthenes contendit. Id non crediderim; nunnulla enim jam capta erant . . . et rex . . . vix et ne vix quidem legatorum jussis a prospere inceptis destitisset aut occupata reddidisset." — In eadem sententia est Shilleto (Dem. or. de F. L. pag. 94). — Eodem modo Lachmannus l. c.

niensibus licuit, occupatis Thermopylis, Philippo viam in Phocidem praecludere et Phocenses a calamitate illa defendere, quam prohibere nunc ob id ipsum non licuit, quod Philippus, quum Phocidem invaderet, nondum Atheniensibus suspicionem satis confirmatam praebuerat, quippe qui Thraciam non contra pacis conditiones, sed ante pacem sancitam, ideoque suo quasi jure occupasse videretur[1]). Itaque proditione legatorum factum est, ut Philippus non modo Thraciam subigeret, sed etiam, quum id nulla fraude fecisse videretur, insuper pacem impetraret et occasionem in Phocidem impune invadendi[2]), quum, si fidem adhibuissent

---

1) Haec ab ipso Æschine confirmata sunt in lite Ctesiphontea, ubi obliterata jam harum rerum memoria (Dem. de Cor. §§ 15, 17, 50) sperabat posse se culpam in Demosthenem transferre. Vide Æsch. or. in Ctes. § 66: *καὶ ταυϑ' ὁ μὲν ἐξωνούμενος οὐκ ἠδίκει, πρὸ γὰρ τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνϑηκῶν ἀνεμέσητον ἦν αὐτῷ πράττειν τὰ συμφέροντα, οἱ δ' ἀποδόμενοι καὶ κατακοινωνήσαντες τὰ τῆς πόλεως ἰσχυρὰ μεγάλης ὀργῆς ἦσαν ἄξιοι.*

2) Vide Dem. F. L. §§ 151, 152: *χωρὶς δὲ τούτων δυοῖν χρησίμοιν οὐ διαμαρτήσεσϑαι τὴν πόλιν ἡγούμην πλευσάντων ἡμῶν· ἢ γὰρ παρόντων καὶ κατὰ τὸ ψήφισμ' αὐτὸν ἐξορκωσάντων, ἃ μὲν εἰλήφει τῆς πόλεως ἀποδώσειν, τῶν δὲ λοιπῶν ἀφέξεσϑαι, ἢ μὴ ποιοῦντος ταῦτα ἀπαγγελεῖν ἡμᾶς εὐϑέως δεῦρο, ὥστ' ἐν ἐκείνοις τοῖς πόρρω καὶ ἐλάττοσι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν ἀπιστίαν ἰδόντας ὑμᾶς περὶ τῶνδε τῶν ἐγγὺς καὶ μειζόνων, λέγω δὲ Φωκέων καὶ Πυλῶν, οὐ προήσεσϑαι.* Eodem modo accusationem in or. de Cor. § 30 instruxit: (*οἱ πρέσβεις*) *καϑῆντο ἐν Μακεδονίᾳ . . . ἕως ἦλϑε Φίλιππος ἐκ Θρᾴκης πάντα καταστρεψάμενος . ., ἐξὸν ἡμερῶν δέκα . . . εἰς τὸν Ἑλλήσποντον ἀφῖχϑαι καὶ τὰ χωρία σῶσαι, λαβόντας τοὺς ὅρκους πρὶν ἐκεῖνον ἐξελεῖν αὐτά· οὐ γὰρ ἂν ἥψατ' αὐτῶν παρόντων ἡμῶν, ἢ οὐκ ἂν ὡρκίζομεν αὐτόν, ὥστε τῆς εἰρήνης ἂν διημαρτήκει, καὶ οὐκ ἂν ἀμφότερα εἶχε, καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὰ χωρία.* Haec attulisse satis erit ad Boehneckium refellendum et qui in eadem sunt sententia; quorum argumentatio, ad Æschinem defendendum comparata, opinione quadam continetur, qua putatur Demosthenes Æschinem vituperasse, quod non Thraciae expugnationem impedivisset. At Demosthenem hoc non simpliciter dixisse, sed conjuncte et cum adjunctione, quo probaretur, non, etiamsi Philippus in Thracia subigenda perseverasset, idcirco minui culpam legatorum, — id ut locis paullo ante prolatis satis patefactum puto, sic

legati, Thraciam non potuerit ita subigere, ut non doceret Athenienses, esse deponendam pacis spem, et arma Philippo, si Phocidem invaderet, inferenda, quippe qui pacem non vellet, sed simulando pacis consilia studeret viam sibi munire ad interiora Graeciae occupanda[1]). — Nam quid ego dicam de Æschinis impudentia, quae tanta est, ut prorsus negare audeat, senatusconsulto fuisse legatis injunctum, ut in Thraciam ad Philippum proficiscerentur?[2]) Quod si verum fuisset, quis non videat, Æschinem totum illud senatusconsultum recitaturum fuisse, ut se nihil contra commisisse demonstraret? At non recitavit. — Quum vero Demosthenes illo decreto recitando demonstraverit, legatis fuisse injunctum, ut quam citissime ad ea loca proficiscerentur, ubi Philippus esset, quumque ex ipsius Æschinis verbis constet, Philippi in Thraciam iter fuisse legatis cognitum[3]), quis me jure reprehendat, si confirmavero, tota illa defensione nihil aliud effecisse Æschinem, quam ut omnibus manifestum sit, quanta ejus fuerit audacia et impudentia[4])!

---

ne scholiastam quidem fugit. Vide Schol. ad Dem. F. L. § 150 (388: 6; Dem. ex. rec. Ddrfii, Vol. VIII, p. 409): *ἐπειδήπερ ἀντέπιπτεν, ἀλλ' ἄδηλον εἰ μήπω ταῦτα κατειλήφει Φίλιππος, ἐμέρισε τὴν λύσιν . . . δίχα. ἀλλ' εἰ καὶ προειλήφει, ἀλλ' οὐ πάντα, καὶ . . . τῶν λοιπῶν ἐφείσατο ἄν. ἢ εἰ μὴ ταῦτα πεποιήκει, οὐκ ἂν ὡρκίζομεν αὐτὸν, καὶ πάντες ἂν ἐφυλαξάμεθα . . . ἐξαπατηθέναι περὶ Φωκέων.*

1) Cfr Grot. XI: p. 557, extr., p. 558; A. Schaef. Dem. II: p. 232.

2) Æsch. F. L. § 98; cfr pag. 67, adn. Stechowius (Vit. Æsch. p. 45) non dubitavit Æschini fidem tribuere: "*mandatum legatis erat, solum ut jusjurandum a Philippo acciperent, aliaque nonnulla.*" Cfr Æsch. l. c.: *οὐδὲ γὰρ τὸ ψήφισμα τοῦθ'* (ɔ: *τὴν ἐπὶ Θρᾴκης ὁδὸν*) *προσέταττεν, ἀλλ' ἀπολαβεῖν μόνον τοὺς ὅρκους, καὶ ἄλλ' ἄττα.* — At haec "*ἄλλ' ἄττα*" quaenam fuerint, juvabit meminisse! Vide p. 67, adn.

3) Æsch. in Ctes. § 65; F. L. § 82; cfr Dem. F. L. § 150.

4) Excusationem Æschinis Thirlwallus appellavit "a paltry evasion"

Nihil a me arbitror praeteritum, sed aliquid ad extremum caussae reservatum. Nam hoc quoque ad se defendendum attulit Æschines, Cersobleptem jam die Elaphebolionis XXIII in ditionem Philippi venisse; quare non per legatos stetisse, quominus Cersobleptes aut omnino Thraciae quidquam servaretur, si quidem Cersobleptes rex Thraciae debellatus esset jam antequam legati iter in Macedoniam suscepissent[1]). Qua in defensione quam multa sint vulnera, mox apparebit. Non agam summo jure tecum, Æschine; non dicam id, quod debebam fortasse obtinere, hanc tuam defensionem caute esse audiendam, quippe cui repugnant ea, quae a te in oratione in Ctes. de Cersoblepte commemorantur[2]); non, inquam, sic agam, sed alia argumenta conquiram. "Cersobleptem jam die Elaphebolionis XXIII debellaverat Philippus." — O magnam Philippi atque incredibilem celeritatem, qui viginti fere dierum spatio in Thraciam ire, castella quaedam expugnare, Hieron Oros obsidere obsessumque in suam potestatem redigere potuerit[3]). Quid? quod Philippus non mense insequenti (Munychione) sed mense

---

(Hist. of Gr. V: p. 358). Idem videtur Groteo (XI: 558 adn. 1), et Flatheo (Gesch. Maced. I: p. 203).

1) Æsch. F. L. § 92: *ὁ δὲ Κερσοβλέπτης πόσαις πρότερον ἡμέραις ἀπώλεσε τὴν ἀρχὴν πρὶν ἐμὲ ἀπιέναι; ὥς φησι Χάρης ὁ στρατηγὸς καὶ ἡ ἐπιστολὴ, τοῦ προτέρου μηνὸς, εἴπερ ἐλαφηβολιὼν ἐστι μουνυχιῶνος πρότερος.* Cfr ibid. § 98: . . . *οὔτ' ἐλθόντας πράττειν οὐδὲν ἐνεδέχετο τῶν περὶ Κερσοβλέπτην ἤδη γεγενημένων, ὡς ἀρτίως ἠκούσατε.*

2) In or. in Ctes. rem ita narrat, quasi Cersobleptes die XXIV Elapheb. nondum in Philippi potestatem venisset, sed servari etiam postea potuisset, nisi Demosthenes, pacem nimis festinando, fecisset ut Philippo liceret postea Cersobleptem subigere, quippe qui pacis foederi non esset adscriptus; Æsch. in Ctes. §§ 64, 65, 73, 74.

3) Sub finem mensis Anthesterionis (Boehn. Forsch. I: p. 387) vel ineunte Elaphebolione (Winiewsk. Comment. p. 318) legati Atheniensium e Macedonia Athenas reverterunt. Eodem tempore Philippus e Macedonia castra movit, ut Cersoblepti bellum inferret. Æsch. F. L. § 82.

demum Thargelione in Macedoniam rediit, id nonne demonstrat, Æschinem caute esse audiendum? Nisi forte quis putat, Philippum, quae ejus fuerit industria, bello jam mense Elaphebolione profligato plus unum mensem in Thracia otio et desidiae se dedisse. — Hic mihi afferunt epistolam a Charete de Cersoblepte jam die XXIII Elaphebolionis devicto scriptam et ab Æschine ad se defendendum recitatam[1]. In qua etiamsi scriptum fuerit de clade quadam Cersoblepti illata, tamen videtur jure posse dubitari, num scriptum fuerit, Cersobleptem jam tum in potestatem Philippi venisse, quum et Æschinis quam maxime interesset, rem in majus extollere, et quam saepe Æschines in tabulis recitandis a fide et veritate declinaverit, id nunc scire necesse est unumquemque[2]. An aequum videtur, repudiare testimonia Demosthenis, licet de hac re semper sibi constet, Æschini fidem tribuere, pugnantia loquenti[3]? Quid, si ex aliis orationum

1) Æsch. F. L. § 90: *ἀκούσατε δὴ τῆς Χάρητος ἐπιστολῆς. . . . ὅτι Κερσοβλέπτης ἀπολώλεκε τὴν ἀρχὴν καὶ Ἱερὸν ὄρος κατείληφε Φίλιππος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἑβδόμῃ φθίνοντος.* Cfr ibid. § 92: *ἐδυνάμην οὖν ἐγὼ σῶσαι Κερσοβλέπτην, ὃς πρὶν ἐμὲ ἐξορμᾶν οἴκοθεν ἀπωλώλει;* — Cfr Lachmanni Gesch. Griechenl. II: pp. 96, 97; Stechowii Vit. Æsch. p. 45.

2) Vide Grotei Hist. XI: p. 557, adn. 2: "There is no fair ground for supposing that the words *ἀπολώλεκε τὴν ἀρχὴν* are the actual words used by Chares, or that Kersobleptes was affirmed by Chares to have lost every thing that he had. It suited the argument of Æschines to give the statement in a sweeping and exaggerated form." Thirlwallus (Hist. V: 358) eodem modo: "Æschines wishes to prove that nothing remained to be saved in Thrace. This however does not follow from the language of Chares, even if he has reported it faithfully. It seems to imply nothing more than that Philip was rapidly advancing toward the conquest of kingdom; and this is the very ground on which Demosthenes" — cfr Dem. de Cor. § 26 — "professes to have urged his colleagues to hasten their departure." — Cfr Frankii Prolegg. p. 30.

3) Ubicumque hanc rem attigit Demosthenes, constanter affirmavit, Thraciae loca capta esse et Cersobleptem debellatum post pacem Athenis factam. Vide F. L. § 156: *ἐν δὲ τούτῳ* (dum cunctantur legati) *Δόρισκον*.

monumentis videre licet, Cersobleptis imperium Munychione demum mense profligatum fuisse, numquid dubium poterit esse, quin hoc quoque loco Æschines mendacii crimine teneatur? Est enim in Hegesippi de Halonneso oratione scriptum, Philippum non eodem mense, quo pax iniretur, sed proximo demum mense et alia loca Thraciae et Hieron Oros cepisse[1]). Quod quum scripserit Hegesippus, haud scio an affirmare liceat, Æschinem in hac defensionis parte non esse audiendum, quippe qui non solum argumentis sed etiam certis testibus refutetur.

Verum esto: sit Hieron Oros jam mense Elaphebolione a Philippo captum — nam difficile est in tanta scriptorum discrepantia quidquam pro certo affirmare — quid de ceteris Thraciae oppidis et castellis dicemus? Quorum nonnulla Philippum, dum cunctarentur legati, in suam ditionem redegisse, inde apparet, quod totum mensem Munychionem in Thracia occupanda consumpsit. Haec ut aut servarentur, aut, a Philippo post legatorum adventum capta, documento essent, Philippum pacem non velle, non fuit legatis maturandum?[2]) Ex his duobus commodis certe al-

---

Θρᾴκην, τἀπὶ τειχῶν, Ἱερὸν ὄρος κ. τ. λ. (p. 69, adn. 1). Cfr Dem. de Cor. § 30 (pag. 69, adn. 2). Dem. or. Phil. III: § 15: *ὁ τοίνυν Φίλιππος ἐξ ἀρχῆς, ἄρτι τῆς εἰρήνης γεγονυίας, . . . Σέρρειον καὶ Δορίσκον κατελάμβανε καὶ τοὺς ἐκ Σερρείου τείχους καὶ Ἱεροῦ ὄρους στρατιώτας ἐξέβαλλεν, οὓς ὁ ὑμέτερος στρατηγὸς ἐγκατέστησεν.* Cfr Dem. or. de Cherson. §§ 63, 64.

1) Or. de Halonneso, §§ 36, 37: *περὶ δ' ὧν ἐν τῇ εἰρήνῃ εἴληφε χωρίων, ὑμῶν ἐχόντων, παρασπονδῶν καὶ λύων τὴν εἰρήνην, . . . οὐκ ἔχει Φίλιππος ὅ τι εἴπῃ ἀλλ' ἀδικῶν φανερῶς ἐξελέγχεται . . . ἀριθμὸς ἡμερῶν ἐστὶν ὁ κρίνων. ἅπαντες γὰρ ἴσμεν τίνι μηνὶ καὶ ποίᾳ ἡμέρᾳ ἡ εἰρήνη ἐγένετο· ὥσπερ δὲ ταῦτα ἴσμεν, κἀκεῖνα ἴσμεν, τίνι μηνὶ καὶ τίνι ἡμέρᾳ Σέρριον τεῖχος καὶ Ἐργίσκη καὶ Ἱερὸν ὄρος ἑάλω. . . . πᾶσι γνώριμα πότερος πρότερος ὁ μήν ἐστιν, ἐν ᾧ ἡ εἰρήνη ἐγένετο ἢ ἐν ᾧ τὰ χωρία ἑάλω.* Cfr. Frank. Prolegg. p. 30.

2) Cfr Thirlw. V: pp. 358, 359; Brückn. Kön. Phil. pp. 167, 168, 169, 170; Schaef. Dem. II: 378.

terutrum ad rempublicam redundaturum fuisse, si maturassent legati, non solis luce clarius est? Nunc culpa legatorum factum est, ut utroque commodo privaretur respublica; quod quum ita sit, quae potest esse legatorum defensio? "Non", inquit, "venit nobis in mentem, quanti interesset, ut in Thraciam festinanter proficisceremur"[1]. Erat enim videlicet in populiscito illo non satis dilucide scriptum, ut quam celerrime legati ad Philippum proficiscerentur! An tu, Æschine, munera tibi a populo delata suscipies, suscepta administrabis ad tuum arbitrium, neglecta populi voluntate[2], deinde ad impunitatem tibi comparandam ignorantiam excusabis? Populi voluntas arbitrio pessimi cujusque posthabebitur, modo ignorantiam vel stupiditatem simulaverit? Quamquam vel sic tibi effugere non licet! Nam tum tibi bene cognitum fuisse, quantum esset in mora periculum, quum Demosthenes affirmet, tum etiam e tuis ipsius verbis videre licet[3]! Haec igitur gesta est res, hoc facinus commissum: legati quum, si maturassent, aut egregium servatae per se Thraciae titulum habere, aut saltem animo Philippi nudando Athenienses praemonere potuerint, ut reliquis reipublicae sociis caverent, tergiversando et cessando et nonnulla Thraciae loca Philippo occupanda concesserunt, et impediverunt quominus Athenienses, clandestinis Philippi consiliis perspectis, reliqua reipublicae commoda tutarentur.

---

1) Æsch. F. L. § 98: *περὶ μὲν οὖν τῆς ἐπὶ Θράκης ὁδοῦ οὐκ ἐγένετο μνεία.*

2) Haud scio an id placeat Lachmanno, apud quem (Gesch. Griechenl. II: p. 99) hoc ad Æschinem defendendum scriptum invenio: "Die Gesandten *mögen* Philippos schon hinlänglich gekannt haben, um zu wissen, dass sie ihn in seinen Plänen nicht stören würden, und hatten es *daher (!)* bei diesen Umständen mit dieser Eidesabnahme nicht so ängstlich."

3) Dem. F. L. § 156; Æsch. in Ctes. § 66.

IV.

Restat locus, huic disputationi vel maxime necessarius, de Phocensibus; quos per Æschinem ceterosque legatos Philippo proditos esse ut constanter asseveravit Demosthenes, sic Æschines non dubitavit culpam in Demosthenem conferre; quare de hac quoque re videndum est uter utrum justius accusaverit. Atque hoc loco mihi et commodum videtur et ad id, quod nobis propositum est, aptum, rem paullo altius repetere bellumque sacrum, a Phocensibus contra Thebanos et Philippum illo tempore gestum, in memoriam revocare. Nam et ipsum bellum mihi haud indignum videtur, de quo paullo uberius disputetur, quum vix ullum bellum a Graecis contra Graecos gestum sit, quod majora excitaverit miseriarum incendia; neque potest quisquam de interitu Phocensium et de criminibus oratorum recte judicare, nisi diligenter cognito, quaenam ante pacem factam et tum ipsum, quum de pace agebatur, fuerit Phocensium conditio. Quare de criminibus oratorum mox videro; nunc res Phocensium et bellum sacrum attingam; quae tractandi ratio eo minus mihi videtur habere, cur reprehendatur, quod non modo cognitioni sed fortasse etiam delectationi legentium consultum erit, si orationem a disputandi subtilitate ad narrandi simplicitatem paullisper traduxero.

Terra Phocensium ab oriente sole Boeotiam habebat, ab occidente Locridem et Doridem; septemtrionem versus Thessaliam spectabat[1]). Praeterquam quod a meridie habebat sinum Corinthiacum, undique erat montibus clausa et

1) De natura et situ Phocidis uberiora invenies in libris C. H. Krusei (Hellas, Tom. II, Vol. 2, pp. 2, sequ.) et S. F. W. Hoffmanni (Griechenland im Alterthum, Tom. I: pp. 489, sequ.); cfr Strabon. lib. IX: c. 3; Pausan. X: 1.

quasi munita. Et a Thessalia et a Boeotia una via patebat, eaque velut opere atque consulto per angustias montium ducta, ubi omnis circa regio praeceps ut importuna hostibus sic incolis ad stragem hostium multo erat adjumento [1]. Neque si quis hostiliter terram intrasset, aliae non subeundae erant difficultates. Nam ita nata erat illa regio: ager frumenti parum fertilis, bonus pecori, ideoque incolis, ut montanis, satis idoneus, sed qui hostibus non satis cibi praeberet [2]; nulli campi aut exigui et saxis imminentibus circumventi [3]; pleraque locorum inculta, aspera, saltuosa, aquae egentia [4]; inter cava vallium multa montuosa et praealta ad necopinatos impetus aptissima. Praeterea coelum, propter cacumina montium nivibus obruta, asperum et advenis damnosum [5]; genus hominum bellicosum et libertatis amantissimum [6].

Urbes Phocensium, numero duae et viginti, adversus impetus hostium rupibus praecisis impositae, pro se unaquaeque liberae erant et suis magistratibus singulae utebantur; sed omnes inter se consociatae erant et quasi in unius populi corpus coaluerant, ita ut mos esset Phocen-

1) E Thessalia Phocidem petentibus primum ineundae erant Thermopylarum angustiae (Strab. IX: 428); deinde, facto per fines Locrensium Epicnemidiorum itinere, penetrandae erant fauces montium ad Elateam sitae (Strab. IX: 418, 424; Krus. p. 76; Hoffm. p. 493). — A Boeotia aditus erat per angustias ad urbem, quae Parapotamii vocabatur, sitas. Vide Strab. IX: 424 et conjecturam Forbigeri ibid.; Hoffm. l. c.

2) Hoffm. pp. 493, 494; Krus. p. 19.

3) Krus. p. 12.

4) Krus. p. 4; Hoffm. p. 493; cfr Krus. p. 14; Pausan. X: 35.

5) Hoffm. p. 494; Krus. p. 19: "Das Klima ist im ganzen wegen der Nähe des Parnass kalt, und der Schnee bleibt lange in dem Gebirge liegen." — Persas in Phocide propter coeli intemperiem magna clade afflictos fuisse, commemoravit Herodotus, VIII: 37, 39. De Gallorum clade eodem modo accepta narravit Pausanias, X: 23.

6) Cfr Schlosseri Universalhist. Übersicht, I: 2: p. 216.

sium, in dubiis rebus communiter comitia deliberandi et decernendi caussa habere, virosque eligere, penes quos imperium et summa rei gerendae potestas esset[1]). Phocenses veteres gerebant inimicitias cum Thebanis, Thessalis, Locrensibus[2]); quare bello inter Thebanos et Lacedaemonios coorto cum Lacedaemoniis consociarunt arma. Deinde quum in pugna Leuctrica res Thebanorum superior fuisset, necessitate coacti se ad eorum societatem applicaverunt; Thebanis vero paullo ante pugnam Mantineensem cum suis sociorumque copiis in Peloponnesum moventibus, militiam detrectarunt, quod se ea lege foedus iniisse dicerent, ut cum Thebanis bella tantummodo defenderent, non ut ultro inferrent[3]). Haec prima fuit caussa, cur Thebani perniciem Phocensibus struerent; accedebant aliae, quas hic praetereundas censeo, quoniam alio properare tempus monet[4]). Post

1) Vide Schlosser. l. c.; Dem. F. L. § 123. — De Phocensium legibus institutisque vide Tittmanni Darstellung der Griech. Staatsverfassungen, pp. 708, sequ.; Schoemanni Antiqu. jur. Publ. Graec. p. 400; Hoffmanni Griechenl. I: pp. 490, 491. — De communi Phocensium concilio Aristoteles librum scripserat Φωκέων πολιτεία inscriptum; vide Tittm. l. c. et Krus. p. 26. — Ædificium, ubi singularum urbium legati ad communiter deliberandum et decernendum convenire solebant, inter Daulidem et Delphos ad viam situm et Φωκικὸν appellatum, Pausaniae aetate nondum erat deletum; vide Pausan. X: 5. — De nummis Phocensium communem in usum percussis et signo ΦΩΚΕΩΝ signatis vide Tittmann. l. c. p. 709, Krus. l. c. p. 27, adn. 168. — Quaenam imperatorum Phocensium fuerit potestas explicarunt Hoffm. p. 491; Tittmann. l. c.; Krus. p. 28. — Praeterea tenendum est, Delphorum populum aut numquam illi Phocensium concilio fuisse adscriptum, aut antiquissimis jam temporibus se a foedere sejunxisse. Vide Tittmann., Krus., Hoffm. ll. cc.

2) Vide Thirlw. V: 263; Grot. XI: 342; Xen. Hell. III: 5: 3, 4, et VI: 1: 1, cum adn. Büchsenschützii; Pausan. X: 2; Herodot. VII: 176; VIII: 27.

3) Schaef. Dem. u. s. Z. 1: 442; Xen. Hell. VII: 5: 4.

4) Vide Thirlw. V: 264: Herrmanni Staatsalterth. p. 406, Flathei Gesch. Maced. I: pp. 133, 134, 136, 142; Weberi Gesch. des Hellen. Volkes p. 852; Schoemanni Griech. Alterth. II: p. 35.

pugnam Mantineensem igitur, rati tempus ulciscendi venisse, rem hoc modo aggrediuntur.

Inde ab antiquis temporibus inter se dissidebant Delphi et Phocenses, cum ob diversam horum populorum originem [1]) tum quod utrique templi Delphici προστασίαν ad se vindicabant. Multa ab alteris in alteros his de caussis hostiliter facta feruntur; neque si post multa et vario Marte inita certamina [2]) res secundum Delphos dijudicabatur [3]), idcirco minus simultates exercebant. Hanc discordiam Thebani in suam rem vertere conantes Delphos instigant, ut Phocenses apud Amphictyonas reos facerent, quod agrum Cirrhaeum, deo Apollini consecratum, exarassent [4]). Quod num jure

1) Krus. Hellas II: 2: p. 24; Hoffmann. Griechenl. I: p. 491. Cfr Pausan. IV: 34: 6; Tittmann. l. c. p. 710.

2) Lacedaemonii in hac re Delphorum socii fuerant, Phocensium Athenienses; vide Thucyd. I: 112; Plutarchi Pericl. 21; Clint. Fast. Hell. I: p. 258; Lachmann. Gesch. Griechenl. II: p. 60; Schoemanni Gr. Alterth. II: 44.

3) Hoc factum est pace Niciae; vide Thucyd. V: 18; Brüchn. Kön. Phil. p. 62.

4) Vide Diod. Sic. XVI: 23; quamquam quinam populus accusaverit, is non dixit. Delphorum populum indicant Schoemannus (Alterthüm. II: p. 35) et Weberus (l. c. p. 853). — De concilio Amphictyonum videnda sunt, quae scripserunt Lachmannus (II: pp. 56, sequ.), Groteus (XI: 339, sequ.), Schoemannus (Gr. A. II: 24, sequ.; Ant. Jur. Publ. Gr. 385, sequ.), Herrmannus (Staatsalt. pp. 31, sequ.). — Duodecim populi huic concilio erant adscripti; quorum nomina inveniuntur in Æsch. or. de F. L. § 116. Legati singulorum populorum duplicis erant generis: *Hieromnemones* et *Pylagorae*. His nominibus quid significetur, inter doctissimos viros non satis constat. *Schoemannus* putat, et Hieromnemones et Pylagoras deliberationibus interfuisse, et de rebus, quae in deliberationem venirent, dixisse; *decernendi* autem jus solis *Hieromnemonibus* fuisse concessum (Ant. Jur. publ. p. 392; Gr. Alterth. II: p. 34). Schoemanno assentitur Boehneckius (Forsch. I: p. 501). — *C. F. Herrmannus* sententiam paene contrariam proposuit: *Pylagoris* jus *decernendi* fuisse concessum; Hieromnemonibus vero injunctum fuisse, ut decreta Pylagorarum perficienda curarent (Gr. Staatsalterth. p. 38). Uterque suam sententiam locis veterum scriptorum allatis probatam vult. — His duobus adversatur *Le Tronne*,

incusaverint, parum compertum habeo; Delphi vero, cui in Phocenses odio propter suam infirmitatem diu moderati erant, id omne tum in spem auxilii Amphictyonum impetrandi effuderunt[1]. Jam multo ante evanuerat omnis concilii Amphictyonum auctoritas[2], quod fere semper dies fert, quum

---

cui placet, Pylagoras eos legatos fuisse appellatos, "*qui s'occupaient exclusivement de toutes les questions de droit public. Ils récompensaient les services rendus à la Grèce, condamnaient à des amendes les peuples qui violaient le droit de gens.*" De Hieromnemonibus contra ita disputat: "*ils faisaient en ce que regardait la religion, ce que les Pylagores faisaient pour les affaires de droit public; ils étaient les Sacrorum Curatores* [Memoires de l'Academie des Inscript. Vol. VI: (1822), pp. 221, sequ]. Le Tronnii sententiam secuti sunt Weberus (Gesch. d. Hellen. Volkes, p. 110) et Schlosserus (Universalhist. Übersicht I: 3: p. 83).

De conventibus Amphictyonum unum bene tenendum censeo. Nam omnes fere ab ineunte aetate didicimus ex historiae summariis, Amphictyonas vere in Delphos, in Thermopylas auctumno convenisse; quod idem scripserunt Groteus (XI: 340) et Tittmannus (Über den Bund der Amphict. p. 80). Hoc falsum. Nam et vere et auctumno Amphictyones conveniebant in oppidum, quod, ad ipsas Thermopylarum fauces situm, Anthele vocabatur; inde Delphos proficiscebantur. Documento est locus Strabonis IX: 420: *δὶς κατ' ἔτος οὔσης τῆς συνόδου, ἐαρός τε καὶ μετοπώρου. Τὴν δὲ σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν, τὴν μὲν ἐαρινὴν, τὴν δὲ μετοπωρινὴν, ἐπειδὴ ἐν Πύλαις συνήγοντο, ἃς καὶ Θερμοπύλας καλοῦσιν.* Jam Heerenius (Id. üb. Politik etc. III: 1: 201) et Schoemannus (Ant. Jur. Publ. p. 391: 4) ex hoc Strabonis loco verum conjecerant; profligata est res, oratione Hyperidis funebri nuper repertâ. Nam ibi quoque scriptum est (vs. 100 editionis Cobetianae): *ἀφικνούμενοι γὰρ οἱ Ἕλληνες ἅπαντες δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰς τὴν Πυλαίαν θεωροὶ γενήσονται τῶν ἔργων τῶν (περὶ Θερμοπύλας) πεπραγμένων.* Cfr Schoem. Alterth. II: 33, adn. 1; A. Schaef. Dem. III: 2: p. 343. — De oppido Anthele vide Herodot. VII: 200.

1) Cfr Schaef. Dem. I: 443; Grot. XI: 342. Jam Pausanias, id aetatis homo, negavit posse se dijudicare, utrum quidquam commisissent Phocenses, necne (X: 2: 1).

2) Grot. XI: 340: That during the preceding century the Amphictyonic assembly had meddled rarely, and . . never to any important purpose, in the political affairs of Greece — is proved by the fact that it is not once mentioned either in the history of Thukydides or in the Hellenica of Xenophon." — Cfr Schoem. Ant. Jur. Publ. pp. 390, sequ.; C. F.

leges et instituta, primis rerum publicarum temporibus aptissima, post longum temporis intervallum mutatis et hominum et civitatum moribus a mortalibus propter vetustatem repudiantur[1]; nihilominus Thebani, quibus nihil erat antiquius, quam ut se clade Phocensium diu optata explerent, illud concilium oblivione omnium obscuratum e tenebris in lucem evocarunt[2]. Judicium habetur, accusantibus Delphis; Phocensibus gravis mulcta irrogatur. Phocenses quum solvendo non essent, aliud Amphictyonum decretum promulgatur: ut terra Phocensium Apollini consecraretur[3]. Haec de caussis belli sacri, quamquam multa inter scriptores feruntur, tamen quia alter ab altero discrepat[4], paucis dixisse satis sit.

Vixit tum in Phocide Philomelus, vir loco nobili ortus, acer ac strenuus, opibus atque auctoritate apud populum

---

Herrmann. Staatsalterth. pp. 36, sequ.; Lachmann II: 58, sequ.; Schoem. Gr. Alterth. II: 32, sequ.

1) Cfr Flathei Gesch. Maced. I: 129, sequ.

2) Flath. l. c. 131, 132; Grot. XI: 342, 343.

3) Diod. Sic. XVI: 23: (*οἱ Ἀμφικτύονες*) *ἠξίουν . . . καθιερῶσαι τὴν* (*τῶν Φωκέων*) *χώραν*. Hoc nihil aliud quam perniciem et servitutem Phocensium spectasse, inde videre licet, quod quum Solonis aetate eadem poena urbi Cirrhae irrogaretur, hoc modo in Cirrhaeos consultum est: "*ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὸν λιμένα ἔχωσαν, καὶ τὴν πόλιν κατέσκαψαν καὶ τὴν χώραν καθιέρωσαν, καὶ . . . ὅρκον ὤμοσαν μὴ . . . τὴν ἱερὰν γῆν ἐργάσεσθαι*" (Æsch. in Ctes. § 109). Cfr Pausan. X: 35. — Thirlw. V: 266: "The language used seems to have amounted to a threat of reducing the Phocians to the conditions of Penests or Helots."

Nomina Cirrha et Crissa utrum eandem urbem significaverint, an diversas inter se urbes, neque inter veteres scriptores neque inter recentiores constat; illud Müllero, Pausaniam (X: 37) secuto, placet (Orchomen. p. 405); hoc Hoffmanno (Griechenl. I: 494, 495) et Kruseo (Hellas I: 2: pp. 51, 52), qui ad auctoritatem Strabonis (IX: 418) se contulerunt.

4) Vide Justin. VIII: 1; Aristotel. Polit. V: cap. 3: p. 158 (ed. Tauchn.); Schaef. Dem. I: 442, 443; Grot. XI: 342, 343; Lachmann. II: 61.

cuilibet par[1]). Is ubi intelligit eo processum, ut de libertate aut desperandum esset aut armis dimicandum, necessario vim parat. In concionem progressus injurias Amphictyonum incusat. Quod munus illi sibi arrogarent, ut templum Delphicum tutarentur, id Phocensibus esse a majoribus traditum; de qua re si quis dubitaret, adeundos esse libros Homeri, qui de hac re satis docuisset[2]). Ne igitur de jure suo decederent, neve Amphictyonum decreta curarent, qui quam injuste egissent, quis non videret? Ubi parvum esse delictum, ibi poenam irrogatam esse majorem, quam quae sustineretur[3]). "Hoc", inquit, "ferre ignominiosum non est? Quamquam quid ignominias? Nam internecionem nostram Thebanos spectare, vix quisquam est, cui non apertum sit atque manifestum. Non amplius ergo haec civitas libera erit? Semperne in metu et miseriis versabimur?[4]) Justum est bellum, Phocenses, quibus necessarium; piaque arma, ubi nulla nisi in armis relinquitur spes[5]). Ite injuriis

---

1) Pausan X: 2; Diod. Sic. XVI: 23: *Φιλόμηλος, μέγιστον ἔχων ἐν τοῖς Φωκεῦσιν ἀξίωμα.* Grot. XI: 344; Thirlw. V: 268.

2) Diod. Sic. XVI: 23: *τὸ γὰρ παλαιὸν τοῦ μαντείου τὴν ἐξουσίαν καὶ προστασίαν ἐσχηκέναι τούτους* (ɔ: *τοὺς Φωκεῖς*). *καὶ μάρτυρα . . . Ὅμηρον παρείχετο.* Cfr Hom. Il. II: 517—519, ubi tenendum est, vocabulo ***Πυθῶνα*** nihil aliud quam Delphos significari. Antiquissimis enim temporibus Delphi Python (a *πυθέσθαι* ɔ: locus, ubi interrogatur) vocabantur. Vide Schoem. Gr. Alt. II: 43; Hoffm. Griechenl. I: p. 496; Strab. IX: 419.

3) Diod. Sic. l. c.: *μικρᾶς γὰρ παντελῶς χώρας κατεργασθείσης, μεγίστας ζημίας τεθεῖσθαι.*

4) Diod. Sic. l. c.: *περιορᾶν δὲ καθιερωμένην τὴν χώραν οὐ μόνον ἀνάνδρων ὑπάρχειν, ἀλλὰ κίνδυνον ἐπιφέρειν, καὶ τῷ τῶν πάντων βίῳ ἀνατροπήν.*

5) Vide Clement. Alexandrinum apud A. Schaeferum (Dem. u. s. Z. I: 448, adn. 4): *εἰ μὲν γὰρ ἦν τὸν κίνδυνον τὸν παρόντα διαφυγόντας ἀδεῶς διάγειν τὸν ἐπίλοιπον χρόνον, οὐκ ἂν ἦν θαυμαστὸν φιλοψυχεῖν· νῦν δὲ τοσαῦται κῆρες τῷ βίῳ παραπεφύκασιν, ὥστε τὸν ἐν ταῖς μάχαις θάνατον αἱρετώτερον εἶναι δοκεῖν.* Hoc fragmentum pertinere ad oratio-

obviam; nolite pati templi Delphici *προστασίαν*, quae vestra est, per vim et injuriam vobis eripi. Ego, si mihi summam rerum gerendarum potestatem dederitis, eventum inceptis nostris haud defuturum, spondeo in meque recipio"[1]).

Haec ferociter non suadenti solum sed pollicenti assensu omnes permiserunt, ut ageret, quae e republica Phocensium futura viderentur. Tum Philomelus ad opus, quod gesturus erat, animum intendit. Lacedaemonem nuntios mittit, qui regi Archidamo dicerent, si auxilium tulisset, se Delphis occupatis deleturum decreta Amphictyonum, quibus eadem poena Lacedaemoniis atque Phocensibus irrogata esset, quod ii in pace Cadmaeam occupassent[2]). Unde quindecim talenta nactus totidemque de suo collatis exercitum mercenarium cogit; evocatisque mille Phocensibus omnibus copiis Delphos subito adoritur. Coorto proelio urbem expugnat. In homines e gente Thracidarum, quod enixe restitissent, more belli graviter consultum; trucidantur bonaque eorum publicantur. Ceterum oppidanis, pessima quaeque timentibus, temperatum est, iisque a Philomelo edictum, ut bono essent animo; neque se ad templum diripiendum venisse, neque quidquam hostiliter facturum; tantummodo templum Delphicum patrio more tutelae Phocensium commendare et injusta Amphictyonum decreta exstinguere et tollere, deliberatum sibi esse ac constitutum[3]).

---

nem illam a Philomelo coram Phocensibus habitam et a Theopompo in octavo Philippicarum libro litteris traditam, A. Schaeferus (l. c.) suspicatur.

1) Diod. l. c.: *ἐπηγγέλλετο δὲ κατορθώσειν τὴν ἐπιβολὴν, ἐὰν αὐτὸν αὐτοκράτορα καταστήσωσι στρατηγὸν . . . καὶ κύριον.*

2) Diod. Sic. XVI: 24; de poena Lacedaemoniis irrogata vide Grot. XI: 341; Thirlw. V: 265; Diod. Sic. XVI: 29.

3) Diod. Sic. XVI: 24: *τοὺς δ'ἄλλους ὁρῶν καταπεπληγμένους παρεκάλει θαρρεῖν, ὡς οὐδενὸς ἐσομένου περὶ αὐτοὺς δεινοῦ.* Cfr ibid. extr.: *αὐτὸς διέδωκε λόγον, ὡς οὔτε συλᾶν τὸ μαντεῖον βεβούλευται, τῆς δὲ προγο-*

Locrenses ad hujus rei famam citato agmine Delphos ad propulsandum Philomelum profecti sunt. Nec Philomelus pugnandi moram fecit. Prope urbem signa contulerunt, et res Phocensium superior fuit. Locrenses post magnam suorum caedem domos fuga petivere[1]); Philomelus, Delphis communitis et conscriptis ad quinque millia militum[2]), ulciscendi caussa fines Locrensium invasit; magnamque terrae partem depopulatus praeda onustus Delphos rediit[3]). Ibi ad permulcendos animos, si qui templum occupatum in religionem traherent: Pythiam coëgit, responsum dare consiliis suis accommodatum[4]). Deinde singulas Graeciae civitates legationibus adiit: Delphos se occupasse, non quo templum diriperet, sed quod templi *προστασίαν* Phocensibus tribuendam censeret; itaque in animo esse, de templi pecuniis rationes reddere[5]). Et quo certius scirent, nihil se sacrilegii admissurum, se non recusare quominus, si quis id

---

νικῆς προστασίας ἀμφισβητῶν, καὶ τὰς τῶν Ἀμφικτυόνων ἀδίκους ἀποφάσεις ἀκυρῶσαι βουλόμενος, βοηθεῖ τοῖς πατρίοις νόμοις τῶν Φωκέων. — De Thracidis vide adn. Wesselingii ad. Diod. l. c.; Schoem. Gr. A. II: 43. — Pausanias (III: 10; 4) alia de Philomelo Delphis potito narravit; at vide Thirlw. V: 269, 270.

1) Diod. l. c.: *διαβοηθείσης δὲ τῆς περὶ τὸ ἱερὸν καταλήψεως οἱ Λοκροὶ κ. τ. λ.* Ibid.: *πολλοὺς ἀποβαλόντες τῶν στρατιωτῶν ἔφυγον εἰς τὴν οἰκείαν.*

2) Non modo mercenarios coëgit, sed Phocensium fortissimum quemque ad stipendia facienda evocavit; Diod. XVI: 25.

3) Diod. XVI: 25: *ἐπανῆλθεν εἰς Δελφοὺς ἐμπεπληκὼς ὠφελείας τοὺς στρατιώτας.*

4) Diod. Sic. XVI: 27.

5) Diod. l. c.: *ἐπέλεξε τῶν φίλων τοὺς εὐθετωτάτους εἰς τὰς πρεσβείας, καὶ τούτων τοὺς μὲν εἰς τὰς Ἀθήνας, τοὺς δ' εἰς Λακεδαίμονα, τοὺς δ' εἰς τὰς Θήβας ἐξέπεμψεν. ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς τὰς ἄλλας τὰς ἐπισημοτάτας τῶν . . . . πώλεων ἀπέστειλεν ἀπολογούμενος, ὅτι κατείληπται τοὺς Δελφοὺς, οὐ τοῖς ἱεροῖς χρήμασιν ἐπιβουλεύων, ἀλλὰ τῆς τοῦ ἱεροῦ προστασίας ἀμφισβητῶν. εἶναι γὰρ Φωκέων αὐτὴν ἰδίαν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις ἀποδεδειγμένην.*

postulasset, dona templi quot essent, quantique ponderis, indicaret. Quae quum ita sint, orare se obtestarique, ne quis odio aut invidia ductus Phocences adoriatur, quibus aut subvenisse, aut certe nihil mali intulisse, aequius futurum [1]).

Haec modeste et verecunde [2]) renuntiata tantum abfuit ut quidquam ad mitigandas Thebanorum iras valerent, ut quod Thebani jam antea inceperant bellum [3]), id tum omni vi susciperent. Convocato Amphictyonum concilio missisque, qui singulas civitates ad experiendam adversus Phocenses belli fortunam evocarent, sacrum bellum Phocensibus denuntiari jusserunt; Amphictyonas et opem Deo Apollini laturos, et a Phocensibus poenas sacrilegii repetituros. Hoc modo Boeoti, Locrenses, Thessali, Perrhaebi, Dorienses, Dolopes, Athamanes, multae aliae gentes adversus Phocenses concitatae [4]).

1) Diod. l. c.: τῶν δὲ χρημάτων τὸν λόγον ἔφη πᾶσι τοῖς Ἕλλησι ἀποδώσειν, καὶ τὸν σταθμὸν καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀναθημάτων ἕτοιμος εἶναι παραδιδόναι τοῖς βουλομένοις ἐξετάζειν. ἠξίου δὲ, ἄν τις δι' ἔχθραν ἢ φθόνον πολεμῇ Φωκεῦσι, μάλιστα μὲν συμμαχεῖν, εἰ δὲ μή γε, τὴν ἡσυχίαν ἄγειν.

2) Grot. XI: 351: We may clearly see, that it was not at first the intention of Philomelus or his Phokians comrades to lay hands on the property of the Delphian temple. Cfr ibid. p. 350, adn.; Thirlw. V: 272; Diod. Sic. XVI: 24 (p. 86, adn. 3).

3) Videntur Thebani paullo post Delphos a Philomelo captos belli initium fecisse. Cfr Diod. XVI: 25: (οἱ Βοιωτοὶ) παραχρῆμα στρατιώτας ἐξέπεμψαν. Τούτων δὲ πραττομένων ὁ Φιλόμελος τεῖχος περιεβάλετο τῷ ἱερῷ κ. τ. λ.

4) Diod. XVI: 27: Βοιωτοὶ καὶ Λωκροὶ καὶ τινες ἕτεροι. Hi quinam fuerint, in cap. 29 commemorat. Bene tenendum est, Philomelum etiamtum nihil sacrilegii commisisse (Diod. XVI: 28: τῶν ἱερῶν ἀναθημάτων ἀπείχετο); tamen Thebani denuntiabant, se Phocenses pro sacrilegis habituros! Cfr Diod. l. c.: ἔκριναν βοηθεῖν τῷ θεῷ καὶ τοὺς Φωκεῖς ὡς ἱεροσύλους κολάζειν. — Athenienses, Lacedaemonii et nonnulli alii populi societatem cum Phocensibus ineuntes opem polliciti sunt; sed vix tum auxilii quidquam missum erat, si quidem Diodorus nisi post proelium

Sed in ea difficultate Philomelum caute et prudenter se gessisse comperio. Nam quum illo tempore non amplius mos esset in rebus dubiis sacro auro abstinere, sed unusquisque populus, pro extrema spe dimicaturus, jus fasque censeret templis et thesauris manus afferre[1]), tamen temperavit sibi quominus sacro auro in belli sumptus uteretur, licet quod crimen illo modo evitare studebat, eo jamdiu ab hostibus insimularetur, quo vix quidquam citius mortales ad facinora audenda sollicitat. Phocensium qui militaris aetatis essent, evocat; tributoque populo Delphico, opibus ac divitiis prae-

---

apud Argolas pugnatum non commemorat, auxilia missa fuisse (cap. 30). Cfr Lachm. Gesch. Griechenl. II: 64: Grot. XI: 354.

1) Hoc jus fasque habitum esse, e multis scriptorum locis videre licet. Thucydides (I: 121) commemorat, quum paullo ante bellum Peloponnesiacum Lacedaemone deliberaretur, Corinthios ejusmodi consilia suasisse (l. c. *ναυτικὸν ἐξαρτυσόμεθα ἀπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς καὶ Ὀλυμπίᾳ χρημάτων*). — Pericles ipse non dubitavit ad eadem consilia descendere (Thuc. II: 13). Id quidem verum est, Periclem et Corinthios hoc suasisse *ea* conditione, *ut*, quantum abstulissent, postea redderetur; sed neque a vero abhorret, Philomelum, quum tandem ad sacri auri usum descenderet, idem in se recepisse (vide Schaef. Dem. I: 453, adn. 1); et constat, multa Deorum dona ab Atheniensibus ad civitatem defendendam consumpta, numquam reddita fuisse, neque quemquam fuisse, qui id vituperaret. Hoc docuit in libro, qui *de Parthenone ejusque partibus* inscribitur (Haun. 1849) I. L. Usingius, qui quum de tabulis Quaestorum Minervae mentionem fecit haec scripsit: "*ad historiam illius temporis* (a. C. n. 434—407) *pertinet, quod florentibus Athenarum rebus opes Deae* (Minervae) *semper augeri, fractis autem bello Siculo . . . paullatim deminui videmus . . . Urgente pecuniae inopia Athenienses ad Deam confugiebant; . . . nec mirum est, post bellum Peloponnesiacum ex antiquis illis donis fere nulla comparere.* Cfr Grot. XI: 355. — Alcmaeonidas, id aetatis homines, Delphico auro usos esse ad filios Pisistrati propulsandos, docuit Demosthenes (or. in Mid. § 144); cfr Boeckhii Staatshaush. I: p. 420, adn. 2. — Jam Aristagorae aetate Hecataeus suaserat, ut Iones ad classem sibi contra Persas comparandam thesauris in templo Branchidarum depositis manus afferrent; vide Herodot. V: 36; Weberi Gesch. p. 417. — Arcades quoque paucis annis ante bellum Phocense in publicos usus magnam thesauri Olympiaci partem consumpserant, approbantibus Thebanis; vide Xen. Hellen. VIII: 4: 33; Thirlw. V: 368; Schaef. Dem. I: 110.

pollenti, imperato, milites mercenarios comparat[1]). His copiis si bellum defenderetur satis in praesentia existimanti Philomelo esse Locrenses, fines Phocensium ingressi, obviam fiunt. Erant haud longe a Delphis rupes quaedam, *Φαιδριάδες* nominatae, ubi, quum omnis regio praeceps esset, homines impietatis convictos detrudi, in morem venerat[2]). Ibi proelium commissum, magnaque clades Locrensibus illata; magna eorum pars occisi aut capti. Multi dum fuga salutem quaerunt, in loca praealta et abscissa incurrunt; ubi hoste a tergo insequente, quum nulla pateret via, in praeceps ruunt eoque modo periere[3]).

Implorantibus postea Locrensibus auxilium Thebanorum[4]), quum non dubium essset quin, trahentibus secum Thebanis tot caedis Phocensium avidas gentes, res ad perniciem Phocensium spectaret, Philomelus, necessitati parendum esse ratus, ad sacri auri usum descendit[5]). Tali modo

---

1) Diod. Sic. XVI: 28: *Φιλόμηλος, προορώμενος τὸ μέγεθος τοῦ πολέμου . . . τοῦ δὲ πολέμου προσδεομένου χρημάτων, τῶν μὲν ἱερῶν ἀναθημάτων ἀπείχετο, τοὺς δὲ Δελφοὺς . . . πλούτῳ διαφέροντας ἐπράξατο πλῆθος χρημάτων ἱκανὸν εἰς τοὺς μισθούς.*

2) De rupibus Phaedriadum vide Hoffm. Griechenl. I: p. 492, et Wesselingii adn. ad Diod. XVI: 28. — Suidas, s. v. *Αἴσωπος* et *Φαιδριάς*, commemorat Æsopum ex illis rupibus fuisse dejectum.

3) Diod. l. c. — Philomelum a Flatheo (Gesch. Maced. I: 143) immanitatis crudelitatisque accusatum satis defendit Thirlwallus (V: 272, adn.); cui assentitur Groteus (XI: 353).

A. Schaeferus (Dem. I: 448) putat, hoc proelium non diversum esse ab illo, quod prope Delphos paullo post urbem captam pugnatum esse, jam commemoravimus; Diodorumque parum accurate et distincte res gestas explicantem, de eadem re bis narrasse. Nos Diodorum secuti sumus, cujus ad auctoritatem alii quoque multi — Groteus, Thirlwallus, Lachmannus — in his rebus narrandis se contulerunt.

4) Diod. XVI: 28, med.

5) Diod. XVI: 30: *Φανεροῦ δ᾽ ὄντος, ὅτι καὶ Βοιωτοὶ μεγάλῃ δυνάμει στρατεύσουσιν . . . ὁ Φιλόμηλος ἠναγκάζετο τοῖς ἱεροῖς ἀναθήμασιν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας.*

multos milites quum mercede conduxisset, existimans se nonnihil profecturum, si hostes, priusquam conjunxissent copias, adortus esset, Locridem invadit. Locrenses Boeotosque — hi jam arma consociaverant — equestri proelio devicit. Deinde Thessali paullo post cum suis sociorumque copiis egressi obviam venere. Coortum est certamen ad collem quendam Argolam vocatum; et victoriam reportavit Philomelus[1]).

Locrenses Thessalosque defatigatos recentes Boeotorum copiae ad tredecim millia militum bellum redintegrantes excepere. Et e Peloponneso quidem Philomelus adversus tantam belli molem nonnihil auxilii adeptus est; tamen quum Boeotis numero esset inferior[2]), castris communitis hostem opperitur. Neque Boeoti signa inferre e re sua futurum putarunt; quare in conspectu hostium castra locant. Tum quam proni essent Thebani in sanguinem Phocensium, manifestum factum est. Nam quotquot hostium cepissent Thebani, in conspectum Phocensium adductos trucidari jubebant, tristeque spectaculum praebuerunt Graecorum in Graecos atrociora facinora edentium, quam infesti edidissent barbari[3]). Philomelum sui milites tanta Theba-

1) Diod. l. c. — Argolas collis ubi situs fuerit, non est cognitum. Vide Wesselingii adn. ad Diod. XVI: 30.

2) Diod. l. c.: *ἐπιφανέντων τῶν Βοιωτῶν μυρίοις καὶ τρισχιλίοις στρατιώταις.* Cfr Diod. c. 31: *οἱ Βοιωτοὶ τῷ πλήθει πολὺ προέχοντες.*

3) Diod. XVI: 31. Jam antequam Philomelus sacrilegii quidquam commisit, Locrenses recusaverant, ne occisos in proelio quodam Phocenses Philomelo sepeliendos redderent (Diod. XVI: 25); quod quam nefandum fuerit, e Schoemanni Antiquitat. jur. publ. Graec. (p. 370) videre licet. Id quoque ad mores Philomeli adversariorumque ejus aestimandos aptum erit meminisse, quod captivos trucidandi initium illi fecere, neque Philomelus ejusmodi quidquam admisit, nisi ut hostes ab incepto desistere cogeret. Cfr Xen. Hell. II: 1: 32, unde apparet, captivorum caedes Graecos morte puniendas putasse. Ipse quoque Diodorus (l. c. c. 31) alias in favorem Thebanorum inclinatus rem abominandam putat.

norum crudelitate exacerbati coëgerunt, ut trucidando quemcumque castris Thebanorum egressum cepisset Thebanis illatum terrorem redderet, donec a caedibus captivorum temperarent [1]). Hoc modo quum nonnihil temporis consumpsissent, neque quidquam, quod esset memorabile, gestum esset, castra utrique movere. Philomelo autem, quum prope urbem, quae Neon vocabatur, per loca saltuosa et aspera exercitum duceret [2]), accidit, ut, priusquam totis viribus fulta constaret Phocensium acies, ex improviso primae hostium cohortes in primum Phocensium agmen impetum facerent [3]). Vix instruendi spatium fuit; eratque Thebanorum acies numero longe superior. Phocensium fortitudo aliquamdiu tamen pugnam aequavit, et atrox editur certamen [4]). Inclinante demum Phocensium acie non jam pugna sed trucidatio velut pecorum facta est; nam Phocenses propter loci difficultatem neque fugae neque pugnae satis potentes omni parte ingenti caede sternuntur [5]). Philomelus quum pertinaciter diu pugnasset, inclinata jam re, inter iras hostium et suorum fugam vulneribus confectus ad rupem quandam venit; quae quum ab antica parte praeceps deruptaque esset, ancepsque terror

---

1) Diod. c. 31: *οἱ παρὰ τοῖς Φωκεῦσι μισθοφόροι παροξυνθέντες ἠξίουν τὸν Φιλόμηλον τῆς ὁμοίας τιμωρίας ἀξιῶσαι τοὺς πολεμίους, κ. τ. λ.*

2) Lachm. Gesch. Griechenl. II: 64, adn. 43: "*Die Gegend dieser Schlacht wird nicht angegeben. Was Grote* (XI: 357) *veranlasst, sie in die Gegend von Neon zu setzen, weiss ich nicht.*" At recte Groteus; vide enim Pausan. X: 2: 4. Eadem urbs etiam Tithorea est appellata; vide Pausan. X: 32: 8; Krus. Hell. II: 2: pp. 80, sequ.; Hoffm. Griechenl. I: 507.

3) Diod. XVI: 31: *τῶν δυναμέων τὴν ὁδοιπορίαν ποιουμένων διὰ τόπων καταδένδρων καὶ τραχέων ἄφνω συνέμιξαν ἀλλήλοις οἱ προηγούμενοι κ. τ. λ.*

4) Diod. l. c.; Thirlw. V: 275.

5) Diod. l. c.

circumstaret hostibus a tergo prementibus, ne in hostium manus veniret in immensum altitudinis sese praecipitavit[1]).

Hoc modo Philomelo militiae magna cum gloria actae finem mors haud inhonesta fecit. Non alias Phocensium melior dux fuit caussâ civium suscipienda susceptaque fide et integritate tuenda. Nam praeter nobilitatem familiae multa ei abunde erant ad gubernacula civitatis tractanda: facundia, industria, militiae magna scientia, animus fervidus belli, domi modicus, semperque libidinis et divitiarum victor. Neque, quinam exitus belli futurus fuerit, si diutius vixisset, hic quaerere lubet; sed quoniam nonnulli, quum auctoritati Amphictyonum faverent, aliter de Philomelo judicarunt, haec de moribus ejus dixisse, a re haud alienum futurum putavi[2]).

---

1) Diod. l. c.: *Φιλόμηλος ἐκθύμως ἀγωνισάμενος, καὶ πολλοῖς τραύμασι περιπεσὼν, εἴς τινα κρημνώδη τόπον συνεκλείσθη· οὐκ ἔχων δὲ διέξοδον καὶ φοβούμενος τὴν ἐκ αἰχμαλωσίας αἰκίαν, ἑαυτὸν κατεκρήμνισε.* — Thebanis quoque illud proelium multo sanguine stetisse videtur (cfr Thirlw. V: 275, extr.); et dubitari potest, num post proelium meliore loco fuerint Thebanorum res, quam Phocensium; sed haec praetermittere tempus monet. Uberiora invenies in libro Flathei (Gesch. Maced. I: 147).

2) Diod. XVI: 23: *Φιλόμηλος, ἀνὴρ θράσει καὶ παρανομίᾳ διαφέρων.* — Pausanias eandem sententiam amplexus dixit (X: 2), Phocenses cupiditate auri sacri ductos belli initium fecisse; quod falsum esse, docuit Groteus (XI: 350, adn.). — Eodem fere modo Justinus: *Phocenses . . . velut deo irascentes . . .* templum Apollinis occupavere (VIII: 1); de quo loco recte Groteus (XI: 347): "*We see thus that the claim now advanced by Philomelus was not fictitious, but genuine, and felt by himself as well as by other Phokians to be the recovery of an ancient privilege, lost only through superior force.*" — De Philomeli moribus omnium optime disputavit A. Schaeferus (Dem. I: 454). Donis et simulacris utrum abstinuerit necne, non constat; nam Diodorus de hac re secum ipse pugnat. Vide Diod. XVI: 30: *ἠναγκάζετο ἱεροῖς ἀναθήμασιν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας* — et XVI: c. 56: *ἀπέσχετο τῶν ἀναθημάτων.* Hoc A. Schaefero verisimilius videtur (Dem. I: 453, adn. 1); illud Wesselingio (adn. ad Diod. XVI: 56). Philomelus mortuus est a. C. n. 354 (Schaef. et Grot. ll. cc.), vel 353 (Lachm. l. c.).

Philomelo mortuo summa rerum potestas ad Onomarchum venit, virum fortem atque strenuum sed qui haud aequaret illam temperantiam, qua Philomelus in auro sacro utendo inter protervitatem et anxietatem religionibus nimis deditam moderatus erat[1]. Is bello praepositus magna cura parare omnia; exercitum supplemento explere, cogere mercenarios[2]; arma, tela, stipendium, alia, quae providisse in rem futurum esset, comparanda curare[3]. Praeterea auxilia a sociis arcessere, finitimasque civitates praemia ostentando aut ad se allicere, aut a Thebanis avertere; prorsus nihil intactum relinquere[4]. Ita compositis rebus redintegrat bellum; fines Locrorum Epicnemidiorum invadit, captisque terrae urbibus, Alpono, Thronio, Nicaea[5], quo a Thessalis

---

1) Vide Schmitzii Gesch. Griechenlands p. 385: "*Er gab seinem Bruder* (Philomelus) *an Muth und Geschicklichkeit nichts nach.*" — Thirlw. V: 276: "In military und political talents, in prudence and energy he seems to have been not inferior to Philomelus. But he wanted the moderation and self-command, which, even through the shade of adverse statements, may be clearly thraced in the conduct of his predecessor." — Cfr Weberi Gesch. p. 855; Grot. XI: 358. — Utrum Philomeli frater fuerit, necne, dissentitur; negant Schaeferus (I: 455) et Thirlwallus (V: 275); dubitant Boehneckius (Forsch. I: 706) et Groteus (XI: 354); affirmant Lachmannus (II: 64), Schlosserus (I: 2: 216) et Wesselingius (adn. ad Diod. XVI: 31).

2) Diod. XVI: 32.

3) Diod. c. 33: *αὐτοκράτωρ ᾑρημένος ἐκ μὲν τοῦ χαλκοῦ καὶ σιδήρου κατεσκεύασεν ὅπλων πλῆθος, ἐκ δὲ τοῦ ἀργυρίου καὶ χρυσίου νόμισμα κόψας κ. τ. λ.*

4) Diod. l. c.: *ταῖς συμμαχούσαις πόλεσι διεδίδου (χρύσιον) . . . Διέφθειρε καὶ τῶν πολεμίων πολλοὺς, οὓς μὲν συμμαχεῖν πείθων, οὓς δὲ τὴν ἡσυχίαν ἔχειν ἀξιῶν.*

5) Diodorus l. c. tantummodo de Alpono mentionem fecit. Sed Onomarchum Thronio quoque et Nicaea potitum esse, inde verisimile fit, quod Æschines (F. L. § 132) commemorat, illas quoque urbes in Phocensium potestate fuisse, vixque Onomarchus Thermopylas custodire potuit, nisi omnes urbes tenuisset. Hoc monuit Groteus (XI: 360, adn.); quem secutus est Schaeferus (Dem. I: 458); Cfr Æsch. l. c. *Ἄλπωνον καὶ Θρόνιον καὶ Νίκαιαν, τὰ τῶν παρόδων τῶν εἰς Πύλας χωρία κύρια.* De Alpono

tutus esset, ad Phocidem ab occidente quoque muniendam advertit animum. Quod pari eventu successit. Nam Locrensibus, qui vocabantur Amphissenses, ad deditionem coactis, in Doriensium loca pergit, agros vastat, oppida capit captasque diruit; tantasque illis tum intulit clades, ut nihil a scriptoribus commemoratum inveniamus, quod postea ab illa parte in Phocenses hostiliter factum sit. Tum omnem terrorem belli in ipsam Boeotiam, ducto eo exercitu, transtulit. Orchomenus in potestatem venit; unde Chaeroneae quoque capiendae Onomarcho facta est spes. Urbem obsidione aggreditur; quum vero ad opus perficiendum non satis virium in praesentia haberet magna copiarum parte in Thessaliam missa, a spe depulsus et clade quadam a Thebanis affectus domum rediit[1]).

Ita damna accepta restituerat Onomarchus, coërcitis finitimis civitatibus, Thebanisque despondentibus jam animos satisque existimantibus, si bellum defenderent. Sed in Onomarchum quoque vim suam exercuit fatalis illa necessitas, quâ saepe a mortalibus, quum favorem fortunae nacti sunt, nihil a victoriis cessando nimisque fortunae instando in media fata ruitur. Nam turbata discordiis intestinis Thessalia[2]), cum contra Lycophronem, Pheris summa rerum potitum, auxilium factio adversaria a Philippo petivisset, Onomarchus cum Lycophrone foedus iniit, ratus se illo

---

et Thronio vide Krus. (Hellas, II: 2: 141, 145) et Hoffmann. (Griechenl. I: 184); de Nicaea Schol. ad Dem. Or. de Epist. Philippi, § 5, scripsit: *ἐν ταῖς Πύλαις κεῖται* (pag. 215 ed. Ddfii).

1) Diod. l. c. Cfr Schaef. Dem. I: 458, adn. 2.

2) Vide Diod. XVI: 14; Thirlw. V: 279, sequ.; Schaef. Dem. I: 456, 457. De Philippi in Thessalia potiunda artibus cfr Polyaeni Strateg. IV: 2 (ed. Woelflinii): *ἀεὶ προσεβοήθει τοῖς καλοῦσι . . ., τὰς στάσεις ἔτρεφε μᾶλλον ἢ ἔλυεν . . . Τῶν ἀσθενεστέρων ἐπεμελεῖτο κ. τ. λ. Τούτοις τοῖς στρατηγήμασι Φίλιππος ἐκράτησε Θεσσαλίας.*

modo aliquid ad suas vires augendas profecturum[1]), sive quod Philippum, consilia a Graeciae parte dilatandi imperii struentem, in ipso conatu rerum comprimendum putaret[2]). Nam Diodorus Siculus rem in majus accipiendo affirmat Onomarchum consilia Thessaliae potiundae iniisse; quod falsum esse, exitus docuit[3]). Lycophroni igitur propter Philippi in Thessaliam adventum in summas angustias adducto Onomarchus fratrem Phayllum cum septem millibus militum auxilio misit. Quibus a Philippo fusis fugatisque ipse Onomarchus in dubiam universi certaminis aleam omnibus copiis Thessaliam petit[4]). Ibi contulerunt arma Philippus et Onomarchus et nondum expertas belli artes inter se conserebant, dux ille fama jam nobilitatus, hic neque belli ignarus et quem enixe dimicaturum stipendia ante facta haud dubie indicarent. Bis acie concursum est, et in priore proelio multis Macedonum interfectis victoriam e Philippo retulit Philomelus. Qui num copiarum numero superior fuerit, quod a Diodoro scriptum invenio, haud ambigam; id constat, Onomarchum, quum iterum inter se concurrerent, non magis viribus quam dolis atque insidiis fretum pugnam iniisse[5]).

Erat enim in ea regione, ubi pugnam iterarunt, modica planities, a qua haud longe aberat mons, in transversum porrectus. Excipiebant montem ab utroque latere colles in campum prominentes, ita ut, antequam venires ad

---

1) Thirlw. V: 281: "Onomarchus thought his alliance valuable as a countrepoise to the hostility of the other Thessalians."

2) Id placet Groteo (XI: 409).

3) Diod. XVI: 35.

4) Diod. l. c.

5) Diod. l. c.: *Ὀνόμαρχος, ὑπερέχων τοῖς πλήθεσι, δυσὶ μάχαις ἐνίκησε καὶ πολλοὺς τῶν Μακεδόνων ἀνεῖλε.* De altero proelio et Onomarchi dolis commemoravit Polyaenus (Strateg. II: 38, ed. Woelflinii) s. v. *Ὀνόμαρχος.* Cfr Thirlw. V: 281, adn.

montem, intrandae essent angustiae collibus interjectae. In ea igitur planitiei parte, quae montem spectabat, Onomarchus collocata ante angustias suorum acie consedit; missisque retro, qui proximos colles occupando ingressis angustias hostibus a tergo forent, reliquos edocet quae agerent, si hostis in manus venisset[1]). Philippus quum in planitiem venisset, simulatque vidit aciem Phocensium instructam, signa inferri jubet. Phocenses quum paulisper impetum hostium sustinuissent, dein, ut compositum erat, terga vertunt, saltumque intrantes simulata fuga montem petunt. Philippum fefellere insidiae; itaque, ne quid a victoria cessaret, ducto in angustias exercitu in adversum montem erigit agmen. Phocenses, quasi profligata re, nihil aliud quam cedere; Macedones eo acrius instare[2]). Jamque multum diei processerat, quum Onomarchus, ubi videt Macedonas fessos, militibus paullatim in unum conductis, ordines restituit et subito signis conversis redintegrat proelium[3]). Phocenses, ad id quod irae et pugnandi studio diu moderati erant, locum quoque pro se fore putantes, e superioribus locis in hostes enitentes et omnia potius quam pugnam exspectantes ferociter incurrunt. Tum facies totius negotii commutata. Macedonas neque virtus neque arma satis tegere; nam et locus adversus et periculum anceps, quum proeliantes et a fronte premeret hostis desuper incurrens, et

---

1) Polyaen. l. c.: Ὀνόμαρχος . . . ὄρος μηνοειδὲς κατὰ νώτου λαβὼν, καὶ ταῖς ἑκατέρωθεν κορυφαῖς ἐγκατακρύψας πετροβόλους, προῆγε τὴν δύναμιν εἰς τὸ ὑποκείμενον πέδιον.

2) Polyaen. l. c.: ὡς δὲ οἱ Μακεδόνες ἀντεπιόντες ἠκροβολίσαντο, οἱ Φωκεῖς προσεποιήσαντο φεύγειν ἐς τὰ μέσα τοῦ ὄρους . . . οἱ Μακεδόνες θυμῷ καὶ ῥώμῃ διώκοντες ἐπέκειντο.

3) Polyaen. l. c.: τότε δὴ Ὀνόμαρχος ἐσήμανεν τοῖς Φωκεῦσιν ἐπιστρέφειν καὶ τοῖς πολεμίοις ἐμβάλλειν.

a tergo alii instarent[1]). Igitur trepidi improviso metu undique ingenti caede sternuntur Macedones; ipseque Philippus, exercitu illu modo ad internecionem deleto, aegre in Macedoniam emersit[2]).

Fugato Philippo Onomarchus e Thessalia rediit ad depopulandam Boeotiam. Non omissa ejus rei cura Thebanis. Itaque exercitum ad Onomarchum propulsandum mittunt; neque ultra fines Boeotorum processerant, quum Onomarchus obvius factus coorto proelio docet, vanas fuisse eorum contentiones. Deinde Coronaea urbe potitus est[3]). Interea Philippus omni ope novum instruere exercitum; concitandoque ad arma quidquid Thessali nominis erat quum plus viginti millia peditum, equitumque tria millia — id robur erat exercitus — collegisset, anno insequenti Thessaliam denuo invasit, pari incepto haud parem eventum ratus responsurum[4]). Adversus tantam belli molem Onomarchus a Lycophrone auxilio vocatus, ne periculis sociorum deesset, seu ad spem victoriae erectus, exercitu ad Philippi copias non satis valido Thessaliam intrat[5]). Ad sinum Pagasaeum certamen editum, et virtute haud impari per aliquot horas aequo Marte pugnarunt[6]); tamen quum ab equitatu

---

1) Polyaen. l. c.: *οἱ δὲ Μακεδόνες τῶν μὲν ὄπισθεν ἐμβαλλόντων, τῶν δὲ ἄνωθεν τοὺς πέτρους βαλλόντων, σὺν πολλῷ πόνῳ φυγόντες ἀνεχώρησαν.*

2) Polyaen. l. c.: *συνέτριβον τὴν Μακεδονικὴν φάλαγγα.* Diod. XVI: 35: *Φίλιππος εἰς τοὺς ἐσχάτους κινδύνους περικλεισθεὶς κ. τ. λ.*

3) Diod. Sic. l. c.

4) Diod. XVI: 35. — De equitatu ibid.: *τῶν Θετταλῶν ἱππέων τῷ πλήθει καὶ ταῖς ἀρεταῖς διαφερόντων.* — De consiliis Philippi cfr Polyaen. II: 38: *ἐν . . . φυγῇ* (ɔ: quum deleto exercitu in Macedoniam rediret) *τὸν βασιλέα φασὶν εἰπεῖν· "οὐκ ἔφυγον, ἀλλ' ἀνεχώρησα ὥσπερ οἱ κριοί, ἵν' αὖθις ποιήσωμαι σφοδροτέραν τὴν ἐμβολήν."*

5) Viginti millia peditum, equites quingenti Onomarchum secuti sunt; Diod. l. c.

6) Diod. l. c. — Ubi pugna pugnata sit, non constat; vide Lachmann

praesertim multo firmior esset Philippus, perculsa demum inclinavit Phocensium acies. Nullum erat Phocensibus munimentum, quo quum se recepissent, proelium renovare possent, et in trepidantes eques immissus[1]). Tum spectaculum horribile in littore: sequi, fugere, occidi, capi; pavore multi impulsi abjectis armis nando etiam capessere fugam, iidemque aut deficientibus viribus hauriri gurgite, aut telis eminus emissis necari; postremo confecta caede littora constrata telis, armis, cadaveribus, et mare ipsum sanguine infectum[2]).

De Onomarcho duplex fama est. Alii eum, dum nando salutem quaereret, jaculis confixum, alii effrenato equo in mare vectum undisque haustum auctores sunt[3]). Phocen-

---

II: 67; Grot. XI: 410; Schaef. I: 460. Nos Thirlwallum (V: 282) secuti sumus.

1) Thirlw. l. c.

2) Thirlw. l. c. — Diod. XVI: 35: *τῶν δὲ περὶ τὸν Ὀνόμαρχον καταφυγόντων εἰς τὴν θάλατταν, καὶ τυχικῶς παραπλέοντος τοῦ Χάρητος μετὰ πολλῶν τριήρων, πολὺς ἐγένετο φόνος τῶν Φωκέων. οἱ γὰρ φεύγοντες ῥίψαντες τὰς πανοπλίας, διενήχοντο πρὸς τὰς τριήρεις, ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς Ὀνόμαρχος. Τέλος δὲ τῶν Φωκέων καὶ μισθοφόρων ἀνῃρέθησαν μὲν ὑπὲρ τοὺς ἑξακισχιλίους, ἐν οἷς ἦν αὐτὸς ὁ στρατηγός. ἥλωσαν δὲ κ. τ. λ.* — Hunc locum corruptum putavit Palmerius, cujus verba in Wesselingii editione adscripta videre licet. Adversatur Wesselingius, locum hoc modo explicans: "erant Athenienses Phocensium socii; . . . quare eorum cum forte classis praeternavigaret, pressi adverso proelio ad mare citi pergunt, nando, si possent, ad naves evasuri. Instante vero Philippo, conficiuntur jaculis, et inter eos Onomarchus." Itaque "*διενήχοντο*" pro imperfecto conatus habendum censet, Onomarchumque, ad naves tranare volentem, jaculis esse in undis confixum.

3) Illud Diodorus commemorat, hoc Philo Judaeus (vide Wesseling. l. c. et Schaef. Dem. I: 460, adn. 4). Alia docuit Pausanias, X: 2: "*Ὀνόμαρχος φεύγων καὶ ἐπὶ θάλασσαν ἀφικόμενος ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν κατηκοντίσθη τῶν οἰκείων*" — nisi pro *κατηκοντίσθη* scribendum est *κατεποντίσθη*, ut Palmerio (apud Wesselingium l. c.) placet; quamquam ne sic quidem multum profeceris. Nam quod Diodorus per hostes factum commemorat (ut Onomarchus interficeretur; cfr XVI: 61: *Ὀνόμαρχος . . . μετὰ τῶν συμπαραταξαμένων Φωκέων κατακοπείς*), id Pausanias l. c. perhibet factum esse ab ipsius Onomarchi militibus, fugam capessenti iratis.

sium ad sex millia interfecti, tria millia capti. Exsangue corpus Onomarchi Philippus cruci affigi jussit; captivi ad unum omnes horrendo leti genere dejecti in mare merguntur[1]. Et tanti illa ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Philippus, compositis Thessaliae rebus, inde consilia Graeciae intrandae caperet. Quod si licuisset, in summam totius belli et Phocensium perniciem profecisset. Sed Athenienses non fefellit, quo rex spectaret. Quare tentata a rege Thermopylarum occupatione, naves Atheniensium a Piraeo properanter missae neque jam mercenario milite sed civibus completae, magna res ad ceteram segnitiem, interclusis faucibus Philippum absistere incepto coëgerunt[2].

Philippus hac spe depulsus in Macedoniam rediit. Desertam Onomarcho mortuo Phocensium rempublicam Phayllus in locum Onomarchi suffectus excepit. Is res afflictas

1) Diod. l. c. — De caede captivorum dubitat Thirlwallus, V: 282, adn. 2; Diodoro credunt Groteus (XI: 411) et Schaeferus (I: 460).

2) Diod. Sic. XVI: 38: (*Φίλιππος*) *τὰ κατὰ τὴν Θετταλίαν καταστήσας, προῆγεν ἐπὶ τὰς Πύλας, πολεμήσων τοῖς Φωκεῦσι. κωλυσάντων δὲ τῶν Ἀθηναίων διελθεῖν τὰς παρόδους, ἐπανῆλθεν εἰς Μακεδονίαν.* — Lachmannus (II: 67,' 68) dubitat, num Phocidem intrandi consilia Philippus ceperit; at idem, quod Diodorus, commemorat Demosthenes in or. de Cor. § 32 (ubi vide Dissenii adn.) et in Or. F. L. § 319: *ὅτε Φωκέας ἐκράτησε τὸ πρῶτον* (*Φίλιππος*) *καὶ διέφθειρε . . . τὸν στρατηγοῦντα Ὀνόμαρχον, . . . οὐδενὸς Φωκεῦσι βοηθήσαντος πλὴν ὑμῶν, οὐχ ὅπως παρῆλθεν ἢ διεπράξαθ' ὧν ἐβουλήθη τι παρελθὼν ἀλλ' οὐδὲ προσελθεῖν ἠδυνήθη.* Cfr Just. VIII: 2; Libanii Argum. ad Dem. Or. de Pace: *βουληθεὶς εἰσβαλεῖν εἰς τὴν Φωκίδα, τῶν Ἀθηναίων περιπλευσάντων εἰς τὰς Πύλας . . . ἀπεκρούσθη τῆς εἰσόδου* — et Dem. Phil. I: § 17 cum Westermanni et Rehdantzii adn. — Lachmannus (II: 67, adn. 11) scripsit: "diesen Zug des *Chares*." At *Nausiclem* ducem praefectumque classis fuisse, constat; vide Diod. XVI: 37, Grot. XI: 414. — De civibus stipendia facientibus vide Grot. l. c., cui assentitur Schaeferus I: 461. — Illa profectio Atheniensibus ducentis talentis stetit (Dem. F. L. § 84). Facta est a. C. n. 352; vide Ddfii adn. ad Dem. or. F. L. 367, 21 (Tom. V. pag. 513); Clint. Fast. Hell. I: p. 132; Schaef. I: 462; Grot. XI: 415, adn. 2.

brevi excitavit [1]). Nam Onomarchum paene aequasse videtur in rebus fortiter ac strenue gerendis, in sacro auro immodeste usurpando longe superasse [2]). Quare quum stipendii inopia non laboraret, egentissimo et ferocissimo quoque mercede conducendo brevi effecit, ut vix quidquam ad justi exercitus formam deesset [3]). Praeterea suas opes multarum civitatium societate firmandas curavit [4]). Tum redintegratur bellum, et Phayllus more exemploque Onomarchi Boeotia belli sede utitur; ubi etiamsi in singulis levibusque certaminibus victus est, tamen summa belli Thebanis haud inferior fuit [5]). Thermopylarum custodiam, quae post cladem a Philippo illatam neglecta erat, deinde, si quid moverent

1) Diod. XVI: 36: *τὴν γεγενημένην συμφορὰν διορθούμενος.* Ibid. c. 37: *προσανέλαβε τὰ τῶν Φωκέων πράγματα τεταπεινωμένα.*

2) Diod. XVI: 56.

3) Diod. c. 37: *ἔχων γὰρ χρημάτων πλῆθος ἀνέκλειπτον πολλοὺς μὲν μισθοφόρους ἤθροισεν, οὐκ ὀλίγους δὲ συμμάχους ἔπεισε συνεπιλαβέσθαι τοῦ πολέμου.*

4) Diod. l. c.: *πόλεις τὰς ἐπιφανεστάτας ἐπεσπάσατο πρὸς τὴν κοινοπραγίαν . . . ἐβοήθησαν δὲ καὶ τῶν ἐλαττόνων πόλεων οὐκ ὀλίγαι τοῖς Φωκεῦσι.*

5) Diodorus l. c. commemorat Phayllum tribus proeliis victum esse, primum apud Orchomenum, deinde apud Cephissum flumen (ubi Phocensium interfectos esse quadringentos), tum apud Coroneam (ubi Phocensium interfectos esse — quinquaginta!). De his rebus bene monuit Thirlwallus (V: 285): "*though Diodorus describes him as defeated in three successive battles, it is remarkable, that the account given of them proves that he was not only able to remain in Boeotia, but to keep advancing toward Thebes.*" — Idem videtur Groteo: "*It is certain, that the general result was not unfavourable to him; that he kept possession of Orchomenus, . . . and that his power remained without substantial deminution*" (XI: 418) et Schaefero: "Wie hoch wir auch diese Erfolge der Thebaner anschlagen mögen — und es ist zu bemerken, dass die Berichte welche Diodor las die Verluste der Phokier im einzelnen angeben während sie über ihnen günstige Gefechte kurz hinweggehen —, die Wirkung hatten sie nicht dass die Boeotischen Städte, welche zu den Phokiern hielten, wieder in ihre Gewalt kamen, geschweige dass sie die Phokier selbst zu paaren treiben konnten" (Dem. II: 168, 169).

Thessali, sibi comparandam putavit; ductoque in agrum Locrorum Epicnemidiorum exercitu, tota ea regione potitus est. Urbes ad unam omnes captae[1]); angustiaeque Thermopylarum, quae terrâ Graeciam claudunt, postea in potestate Phocensium usque ad finem belli mansere[2]).

Phayllum libidinosum ideoque jamdiu infirma valetudine laborantem paullo postquam haec gesta erant mors absumpsit[3]). Phalaeco admodum adolescentulo — Onomarchi an Phaylli filius fuerit, parum liquet; pluribus tamen auctoribus Onomarchum patrem ediderim[4]) — summum imperium tradidit, dato e propinquorum numero Mnasea, qui aetatem ejus regeret. Neque si haud ita multo post Mnaseas a Thebanis, intempesta nocte de improviso castra Phocensium in Boeotia adortis, coorto proelio interfectus est, idcirco ab armis discessum est. Nam Phalaecum, postquam exercitui praefectus esset, ut paullo ante Onomarchum et Phayllum, bellum in Boeotiam transtulisse, a Diodoro scriptum invenio[5]).

Inde Thebani et Phocenses majoribus odiis quam viribus certare[6]), et in multa parvaque proelia carpere sum-

---

1) Diod. XVI: 38.

2) Dem. F. L. § 153; Lachm. II: 69.

3) Schaef. II: 170; Weber. Gesch. d. Hell. Volkes p. 858; Diod. XVI: 38. Alia Philo Judaeus de morte Phaylli commemoravit; vide Wesselingii adn. ad Diod. XVI: 38.

4) Diod. l. c.; Thirlw. V: 285; Schaef. II: 170; Grot. XI: 421; Lachm. II: 70; Brückn. p. 73. Repugnat Pausanias, Phalaecum Phaylli filium indicans; de qua re vide Wesselingii adn. ad Diod. l. c. et Schaef. Dem. u. s. Z. II: 171, adn. 1.

5) Diod. XVI: 38; cfr ibid. c. 39: *Φαλαικὸς περὶ τὴν Βοιωτίαν διατρίβων.*

6) Vide Diod. XVI: 58, ubi commemoratur de templo quodam in urbe Abis; quo quum se recepissent Phocensium quingenti, ad unum omnes concremati sunt, templo incenso. Id socordia Phocensium factum esse, dixit Diodorus; Pausanias (X: 35) Thebanos templo ignem intulisse affirmat.

mam totius belli[1]). Nam jamdiu Thebanis is status erat rerum, ut res summum in discrimen adducta videretur. Quod bellum Phocensibus perdomandis susceperant, id intra fines suos acceperant; quumque opes deessent ad propulsandum hostem, premente stipendii inopia, incolisque terrae, qui quidem militaris aetatis essent, magna ex parte bello absumptis, unde peterent auxilia, circumspectabant[2]). Neque, si auxilia ferebantur, id quidquam ad belli molem avertendam profecit, Phocensibus Orchomenum, Coronaeam, alias terrae urbes, totidem arces belli tenentibus[3]). Hinc factum est, ut Phocenses in Boeotia castris locatis nihil morarentur, quominus Thebani Phocidem intrarent; nam Thebanos, quum praedas agentes redirent, ex improviso adorti Phocenses, quod cladium domi populationibus acceptum erat, id persaepe magna Thebanorum caede aequarunt[4]). — Quod si

---

1) Diod. c. 40: *τοῖς δὲ Βοιωτοῖς καὶ τοῖς Φωκεῦσιν ἀκροβολισμοὶ μὲν καὶ χώρας καταδρομαὶ συνέστησαν, πράξεις δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἄξιαι μνήμης οὐ συνετελέσθησαν.* Hoc factum est Archonte Athenis Thessalo (Diod. l. c.), a. C. n. aut 351 (Clint. Fast. Hell. I: 132) aut 350 (Schaef. II: 173, adn. 2).

2) Diod. l. c.: *Θηβαῖοι κάμνοντες τῷ πολέμῳ καὶ χρημάτων ἀπορούμενοι πρέσβεις ἔπεμψαν πρὸς τὸν τῶν Περσῶν βασιλέα κ. τ. λ.* Trecenta talenta acceperunt; quo quid profecerint, e superiore nostra adn. videre licet. Cfr Schaef. Dem. II: 172: "Jene Persische Geldsendung hat den Thebanern nicht gründlich geholfen; und die ihnen zugethanen Boeotischen Städte behaupteten sich wie bisher."

3) Isocr. Or. ad Phil. § 54: *ἀντὶ τοῦ λαβεῖν τὰς τῶν Φωκέων πόλεις, τὰς αὐτῶν ἀπολωλέκασιν.* Cfr Diod. XVI: 56: *τῶν Φωκέων ἱκανὰς τινὰς πόλεις ἐν τῇ Βοιωτίᾳ κατεχόντων.*

4) Jam Phaylli aetate Thebani Phocidem ingressi erant; quod quominus facerent nihil moratus erat Phayllus, tum in urbe Locrensium, quae Naryx vocabatur [Krus. Hell. II: pp. 118, 119; Hoffm. Griechenl. I: 487], obsidenda occupatus. Quum vero reverterentur Thebani, urbi obsessae opem laturi, Phayllus et Thebanos clade afflixit et urbem vi cepit (Diod. XVI: 38). Fere idem factum est, Archonte Athenis Themistocle (Diod. XVI: 56) vel a. C. n. 347 (Clint. Fast. Hell. I: 138). Thebani, incursione in Phocidem facta, ad urbem Hyampolin victoriam reportarunt;

quis interrogaverit, quanam de caussa factum sit, ut Phocenses, senescente Thebanorum vi, quod profligari oportuerit bellum, id in serum traherent, ne Phocensium quidem opes non erant debilitatae; non quod eorum sim sententiae, qui Phocenses sub finem belli ad id inopiae venisse putant, ut bellum non possent sustinere, quod contra esse jam inde apparet, quod bellum in Boeotiam transtulerant; sed quum Phocensibus opus esset magno mercenariorum numero, neque haberent unde stipendium solverent, nisi sacro auro uterentur, magnâ illarum divitiarum parte ab Onomarcho et Phayllo profusâ necessarium erat modum facere sumptibus, ne post aliquot annos respublica omnium rerum inops in summum discrimen veniret. Itaque mediis consiliis standum videbatur, ut neque sacro auro, quod etiam tum suppetebat [1]),

---

Phocensium interfecere — septuaginta (Diod. l. c.)! Paullo post vero in Boeotia poenas luerunt; coorto enim ad Coronaeam proelio, Thebani multa cum caede suorum victi sunt (Diod. l. c.). Denuo Phocidem intrantibus Thebanis idem accidit: agros pervastarunt, Phocensibus in Boeotia commorantibus; revertentes a Phocensibus devicti sunt (Diod. l. c.). Haec quum non plus uno anno ante pacem factam gesta sint, quis non videat, Phocensium rem sub finem belli fuisse superiorem? Cfr Grot. XI: 422: "*Their*" (Thebanorum) "*losses fell wholly upon their own citizens and their own funds; while the Phokians fought with foreign mercenaries and with the treasures of the temple*"; Isocr. or. ad Phil. §§ 54, 55: ***ἀντὶ μὲν τοῦ λαβεῖν τὰς Φωκέων πόλεις τὰς αὑτῶν ἀπολωλέκασιν, εἰς βάλλοντες δ' εἰς τὴν τῶν πολεμίων ἐλάττω κακὰ ποιοῦσιν ἐκείνους ἢ πάσχουσιν ἀπιόντες εἰς τὴν αὑτῶν· ἐν μὲν γὰρ τῇ Φωκίδι τῶν μισθοφόρων τινὰς ἀποκτείνουσιν, οἷς λυσιτελεῖ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζῆν, ἀναχωροῦντες δὲ τοὺς ἐνδοξοτάτους αὑτῶν καὶ μάλιστα τολμῶντας ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθνήσκειν ἀπολλύουσιν.***

1) Id multis modis demonstrari potest. Diodorus dixit, Phalaecum, bello finito, e Phocide decedentem, pecunias e templo secum abduxisse (Diod. XVI: 61). Quomodo id fieri potuit, si omnia, bello nondum finito, consumpta essent? Quid? quod tantas abduxit divitias, ut inde aliquantum temporis mercenarios se secutos aleret? Quod idem l. c. commemorat Diodorus. Ex aliis Diodori locis idem efficitur; velut XVI: 56, ubi dicuntur imperatores *de* donis argenteis plus sex millia talentûm comsum-

prorsus abstinerent[1]), et tantum modo in bellum insumerent, quod satis esset ad Boeotiam bello pervastandam defatigandosque Thebanos[2]).

A proposito haud alienum videtur Phocensium res domesticas attingere et, quinam illo tempore fuerint civium

psisse; restabant igitur nonnulla! [Cfr Lachm. II: p. 72: "Indessen blieb, wie aus Pausanias erhellt, immer noch viel von den älteren Weigeschenken im Tempel"]. Ne te diutius teneam: decem millia militum Phalaeco duce Thermopylas contra Philippum tum, quum bellum finiebatur, custodientium [Diod. XVI: 59; Dem. F. L. § 230] argumento sunt neque aerarium exhaustum fuisse, neque Phalaecum magna stipendii inopia pressum.

1) Hoc paullo post planum faciemus, quum de Phalaeco peculatus accusato disputabimus.

2) Habes meam de rebus Phocensium sententiam! Haud ignoro, Demosthenem dixisse in tertia oratione Olynthiaca (§ 8) "*ἀπειρηκότων δὲ χρήμασι Φωκέων*" — sed inde colligere licere res Phocensium fuisse perditas, prorsus nego. Nam in eadem oratione (§ 27) dixit Demosthenes, Thebanis nullum esse a Phocensibus otium [l. c. *Θηβαίων ἀσχόλων ὄντων*, — ubi recte Scholiasta (Vol. VIII, pag. 133 ed. Ddrfii): "*διὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον*"]; quod non futurum fuisse, si res Phocensium perditae fuissent, nemo est quin videat! Neque ejusmodi quidquam significatum voluit Demosthenes; nam verba illa *ἀπειρηκότων . . . Φωκέων* dixit, non quod res Phocensium pejore loco quam Thebanorum sitas censeret, sed quod Atheniensibus persuasum volebat, nullam aliam tum esse civitatem, *quae dum Philippum e Graecia propulsaret*, Atheniensibus cessare liceret (cfr Dem. l. c.). Quod si Phocensibus non satis virium erat ad Philippum, si omnibus copiis Graeciam invaderet, propulsandum, id nihil valet ad comprobandum, desperatas fuisse Phocensium res et Thebanis obnoxias. Immo Thebanorum desperatae erant res; nam licet subsidia et a rege Persarum et a Philippo mitterentur (vide Diod. XVI: 58), Boeotiam a Phocensibus non potuerunt defendere. Phocenses contra et satis muniti erant adversus Thebanos, sacro auro, unde exercitus alerent, nondum exhausto (Diod. l. c.: *οἱ Φωκεῖς εὐπορούμενοι μισθοφόρων . . . περιεγίνοντο τῶν πολεμίων. οἱ Βοιωτοὶ θλιβόμενοι τῷ πολέμῳ, χρημάτων δὲ ἀπορούμενοι*); neque si a Philippo periculum imminebat, idcirco de salute desperandum erat, dummodo ne desererentur ab Atheniensibus, quibuscum erant societate conjuncti [Dem. F. L. § 61]. Nam Phocidem adversus Philippi impetus a conjunctis Phocensium et Atheniensium copiis defendi posse, id res paullo post Onomarchi mortem ad Thermopylas gesta satis docuerat.

animi, paucis exponere; quae altera erat caussa, cur Phocenses e pristino bellandi impetu nonnihil remitterent. Nam Philomelus placide et modeste rempublicam tractaverat; ita initio belli nulla neque procerum in plebem superbia, neque in proceres invidia plebis; metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Senescentibus vero Thebanorum viribus, quum laetior auctiorque res Phocensium fieret, tum ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Nam non solum aerarium templi Delphici, cui quam posset maxime pepercerat Philomelus, spoliabatur sine modo, sed in ea omnia, quae sola religione ante tuta fuerant, saeviri tum coeptum est. Erat enim templum Delphicum simulacris monumentisque, singulari opere artificioque perfectis, magnâque auri, argenti, aeris copia ornatum[1]). Haec omnia imperatorum vel avaritiae vel luxuriae praebuere materiem; magna pars, quod plerisque jus fasque videbatur, in belli usus consumpta; multa tamen praedae et divisui imperatoribus eorumque asseclis fuere, vel per peculatum aversa, vel propalam et cum ostentatione vindicata[2]). Ita proceres

---

1) De templi Delphici divitiis vide Boeckhii Staatshaush. der Ath. I: 11, 12; Pausan. X: 9, sequ.; Krus. Hell. II: 34, sequ.; Hoffm. Griechenl. I: 497, sequ.

2) Cfr Diod. XVI: 56. Strabo (IX: 421) affirmat, hoc ab Onomarcho praesertim et Phayllo factum esse. Libri a Demophilo et Diyllo de his rebus conscripti erant (Diod. XVI: 14); hodie non exstant. — Ducibus Phocensium non pudori fuisse, dona templi propalam in suos usus vertere e Diodori XVI: 64 planum fit; dicuntur enim illi torquibus aureis e templo captis uxores ornasse. Onomarchum, puerorum amatorem, multa templi dona deliciis suis dedisse, Lachmannus (Gesch. Griech. II: p. 71, adn. 32), Athenaeum secutus, commemorat. Neque Phayllus ab illa munificentia abhorruisse videtur. Tibicinam quandam, cui nomen erat Bromias, torque aurea, a Peparethiis deo Apollini consecrata, ornavit. Eidem mulieri dedit poculum argenteum, a Phocensibus ipsis Apollini consecratum. Cfr Grot. XI: 416, qui Theopompi, Phylarchi aliorumque fragmentis usus de his rebus commemoravit.

civitatis libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere, trahere, rapere; apud plebem ejusmodi facinora offensioni esse[1]). Praeterea, quod ab hoste otium erat, id ipsis Phocensibus asperius acerbiusque fieri. Nam vix dubitari potest, quin multa in Phocenses commiserint milites mercenarii, genus hominum libidinosum neque metu neque beneficio coërcitum; ducibus enim Phocensium egentissimus et audacissimus quisque opportunissimus, cui neque sua curae erant, quippe quae nulla essent, et omnia cum lucro honesta videbantur[2]). Ita ii, penes quos summa rei erat, avaritia et lubidine, pessimis consultoribus, grassari et nonnumquam divina humanaque polluere, magis non prohibente populo quam approbante; multorum quidem in dies gliscere invidia[3]); sed instante hostium metu ii quoque prosperum putare, si his modicis malis defungi possent; quippe ultima quaeque timenda esse, si imperatorum taedio ducti bellum ponerent, neque tum quidquam reliquum futurum, quam ut Thebanis Thessalisque, hostibus infestissimis, jugula darent[4]).

---

1) Vix dubitari potest quin Phaylli facinora, in proxima adn. a nobis commemorata, multi aegre tulerint. Quamquam alia res documento est, libidinem Phaylli animos Phocensium offendisse. Est enim ab Athenaeo (vide Grot. l. c.) memoriae traditum, jussu Phaylli, ludis Pythiis praefecti, magna populi frequentia Bromian ludorum die esse progressam, ut scienter tibiâ canendo praemium quoddam auferret, de quo a viris tantummodo certari e more majorum jus fasque esset. Tantam vero populi invidiam tum ad illud Phaylli facinus coortam esse, ut Bromias conventum relinquere cogeretur.

2) De mercenariorum moribus et vitae conditione cfr Isocr. Panegyr. § 168, et or. ad Phil. §§ 120, 55; Diod. XVI: 30; Thirlw. V: 273.

3) Cfr ea, quae Groteus, Athenaeum secutus, commemorat (XI: 417) de egestate infimae plebis et in proceres querimoniis.

4) Schaef. Dem. u. s. Z. II: pag. 175: "Gewiss war längst vielen Phokiern der ganze Krieg mit seinen Verheerungen, dazu das wüste Treiben der Tyrannen und ihrer Söldlinge ein Greuel, sie hätten um jeden Preis Frieden geschlossen: aber gegenüber der Militärdespotie konnten

Hoc rerum statu Phalaecus ad gubernacula civitatis accessit. Qui num in sacro auro administrando quidquam commiserit, haud facile dijudicaverim; tamen inclinat animus ut arbitrer, etiamsi innocens non fuerit[1]), tamen Onomarchi et Phaylli intemperantiam non fuisse ab eo aequatam[2]). Sed utut est, tum civitas moveri coepta est; non quod thesauros templi in bellum erogatos populus rem abominandam putaret, sed quod offensioni erat, bona Deorum, quae in civitatis libertatem erogari jus fasque esset, mortales in suos usus consumpsisse[3]). Motis semel animis prodigia quoque nuntiabantur: milites ad aram Apollinis terram noctu fodientes[4]), quo eruerent thesauros, quos ibi latere e

sie ihre Stimme nicht erheben *und hatten selber von der Erbitterung der feindlichen Nachbarvölker das schlimmste zu fürchten.*

1) Vide Demophilum (in Schaeferi Dem. u. s. Z. I: 455, adn. 5): *Ὀνόμαρχος — καὶ Φάλαικος ὃν μόνον ἅπαντα τὰ τοῦ θεοῦ ἐξεκόμισαν, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον αἱ γυναῖκες αὐτῶν.* Cfr Thirlw. V: 330.

2) Georgius Gemisthius Pletho, qui, Diodorum et Plutarchum secutus, de iis, quae post pugnam Mantineensem apud Graecos gesta sunt, duos libros conscripsit, commemoravit, Phalaecum nihil de sacro auro surripuisse, sed quae e templo cepisset ea omnia in bellum insumpsisse; idque quaestione habita esse comprobatum; vide Thirlw. V: 340. Haec monenda puto non quod Phalaecum omni culpa liberandum putem, sed quod mihi Pletho vix id scripturus fuisse videtur, si Phalaecus Onomarchi et Phaylli in pecuniis dissipandis protervitatem aequasset; praesertim quum hoc a Demophilo tantummodo, quod sciam, affirmetur.

3) Hoc bene tenendum! Phocenses non poenituisse pecuniarum in belli usus erogatarum, eosque tantummodo templi divitias a peculatu imperatorum in tuto collocatas et in belli usum reservatas voluisse, et Diodori et Pausaniae verbis manifestum fit. Diod. XVI: 56: *Φάλαικος . . ., διαβληθεὶς ὅτι πολλὰ τῶν ἱερῶν χρημάτων κέκλοφεν, ἐξέπεσεν ἐκ τῆς ἀρχῆς.* Ibid. paullo post: (*Φίλων*) *οὐ δυνάμενος ἀποδοῦναι τὸν λόγον, κατεδικάσθη . . . οἱ δὲ νοσφισάμενοι τὰ σωζόμενα καὶ περιόντα τῶν ἐκ τῆς κλοπῆς ἀπέδωκαν.* Eodem modo Pausanias X: 2; 7. Cfr Flathei Gesch. Maced. I: 191; Lachmanni Gesch. Griechenl. II: p. 71. Cfr Thirlw. V: 331: *they must have made a distinction between the legitimate use, for the defence of the state, and the sacrilegious waste, for private gratification.*

4) Hoc Onomarcho an Phalaeco regnante factum sit, non constat. Cfr Diod. XVI: 56; Strab. IX: 421.

versibus Homeri putarent[1]), terram tremere sensisse, et deorum ira perculsos ab incepto destitisse[2]). Phalaeco peculatus accusato imperium abrogatur; rempublicam excipiunt Dinocrates, Callias, Sophanes. Quaestio de expilatis thesauris habetur. Praefecti aerarii in jus vocantur; quicumque rationes redderet, poena liberabatur; peculatus convicti morte multati sunt; quod ex iis, quae averterant, residuum erat, in aerarium repositum[3]).

1) Cfr Hom. Il. IX: 404, 405.

2) Diod. et Strab. ll. cc.

3) Diod. l. c. Haec omnia quomodo peracta sint difficile est videre. Id libenter crediderim, quaestionem de peculatu approbante populo esse habitam; nam nihil est quod impediat quin Phocenses defatigatis jam Thebanis putaverint, tempus res domesticas ordinandi et imperatorum lubidinem coërcendi venisse. Sed de Phalaeco a republica remoto multa sunt, quae significare videantur, totam rem ab inimicis quibusdam Phalaeci esse perpetratam, populi sententia aut contumaciter spreta aut neglecta. Nam et militum et populi maxima pars Phalaeco studuisse videtur; [cfr Flathei Gesch. des Phokischen Krieges p. 17; Grot. XI: 520; Schaef. Dem. II: 175, adn. 4; Weberi Gesch. d. Hellen. Volkes p. 867; Schlosseri Universalhist. Übers. I: 3 p. 72]. An quod Thebani triumviris regnantibus bis Phocidem devastarunt (cfr Diod. XVI: 56), id non demonstrat infirmitatem regnantium? qui, si populi et militum voluntate sustentati essent, facile potuerunt defatigatos hostes cohibere. Deinde quod brevi postea Phalaecus sine ullo certamine in imperium restitutus est (cfr Diod. XVI: 59: *Φάλαικον πάλιν τῆς στρατηγίας ἠξιωμένον*), quid indicat? Triumviros illos ad civitatis gubernacula voluntate populi accessisse? Ego vero contra sentio; in qua sententia eo magis manendum puto, quod triumviri illi, quum Phalaecus denuo regnum affectaret non ad populum provocarunt, sed populi salute regnandi gloriolae posthabita a semetipsis impetrarunt, ut in Phocenses pro arbitrio consulendi potestatem Atheniensibus traderent, dummodo ipsi Phalaecum ab imperio possent prohibere. (De hac re paullo post disputabo). Quod si ita est, haud scio an illa perturbatio non tam intestinis Phocensium discordiis, quam paucorum erga Onomarchi gentem obtrectationi sit tribuenda; cfr Thirlw. V: 330: *the party in the state which had opposed Onomarchus* (vide Diod. XVI: 33) *before his accession, seems to have been encouraged to renew its attacks on the ruling dynasty, and was now able to effect a revolution.* Quamquam defendat quod quisque sentiat; unum est, quod ut in dubitationem vocare non licet, sic ad extremam oratorum controversiae dijudicationem

Sed triumviri illi ad civitatis gubernacula viribus parum firmis instructi accesserant; quae res non in infelicem belli eventum, quod etsi propter domesticos motus paullo segnius tamen haud improspere gestum est, sed eo vertit, ut, nisi fors aliter tulisset, Phocenses bello nondum confecto non amplius suae potestatis futuri fuerint. Paullum enim abfuit quin summa totius rei et de Phocencibus pro arbitrio decernendi potestas ad Athenienses veniret. Constat, quum militum maxima pars rebus Phalaeci studeret, duces illos in tantas angustias adductos esse, ut abjecta omni imperium propriis viribus obtinendi spe legatos Athenas mitterent: "dummodo illi auxilium mitterent, velle se Atheniensibus tradere urbes illas, in faucibus Thermopylarum sitas, Alponum, Thronium, Nicaeam"; — magnam sane rem et qua haud dubie Phocensium salus arbitrio Atheniensium permitteretur. Athenienses ad Thermopylas occupandas Proxenum cum quinquaginta navium classe miserunt. Qui quum illuc venisset, contra atque speraverat repudiatus, statim infectis rebus rediit. Nam Phalaecus — amotis a republica triumviris summae rerum praefectus erat — is, ne urbes illas Atheniensibus traderet, recusavit[1]), non quod Atheniensibus

---

reservatum volo: sub finem belli Phalaeco in regnum restituto civitatem tranquillam et pacatam fuisse; cfr Diod. XVI: 56, 59.

1) Ut totus hic locus subdifficilis est, sic variae fuerunt doctissimorum virorum sententiae. Diodorus de Phalaeco accusato et triumviris in locum ejus suffectis commemoravit; sed quomodo factum sit, ut Phalaecus in regnum restitueretur, non explicavit; tantummodo ita factum esse, affirmat (XVI: 59). Phalaecum auxilio et voluntate populi militumque denuo rerum potitum esse, quod multi suspicantur (vide adn. nostr. super.) mihi quoque verisimile videtur.

De Atheniensibus ad Thermopylas occupandas evocatis et, quum illuc venissent, repudiatis Diodorus ne unum quidem verbum scripsit. Hanc rem commemoravit Æschines (F. L. §§ 132, 133), quo demonstraret, non sua sed Phocensium ipsorum culpa factum esse, ut ab Athenien-

esset inimicus vel, ut est apud Æschinem, in Philippo spem repositam haberet; sed quum Phalaeco vix utile videri posset illas urbes, quibus occupatis omnis Phocensium contra Philippum defensio contineretur, Atheniensibus tradere, ita ut belli gerendi finiendique potestas non amplius penes Phocences, quorum res ageretur, sed penes Athenienses futura esset, tum eo magis id ipsum erat illo tempore cavendum, quod iidem illi Athenienses jam ad pacem cum Philippo faciendam inclinaverant[1]). Neque haec Phalaeci recusatio videtur ullum fecisse momentum ad animos Athe-

---

sibus desererentur. Sed, ut saepe, subobscurus est, ita ut dissentiant doctissimi viri, a Phalaeco an a triumviris evocati fuerint Athenienses. Nos sententiam Thirlwalli (V: 341) secuti sumus, qua Athenienses a triumviris evocati fuisse putantur. In eadem sententia sunt Groteus (XI: 522), et Brücknerus (Kön. Phil. 143 sequ.), qui primus, quod sciam, hanc sententiam amplexus est. Repugnat Lachmannus in Gesch. Griechenl. II: p. 103, adn. 2.

Phalaecum vero, non triumviros, recusasse ne Thermopylas Atheniensibus traderet, omnes fere scriptores affirmant (vide libros Brückneri, Thirlwalli, Grotei, Schlosseri et Flathei, ll. cc.). Dubitare videntur Schaeferus (II: 176, adn. 2) et Lachmannus (l. c.); quod haud scio an necessarium non sit. Æschines enim, quum de repulsa Atheniensibus data commemoravit, deinde, recitatâ ad comprobandam rem Proxeni epistolâ, addit: *ἀκούετε ὦ Ἀθηναῖοι . . . ὅτι . . . Φάλαικος ὁ τῶν Φωκέων τύραννος ἡμῖν μὲν καὶ Λακεδαιμονίοις ἠπίστει, Φιλίππῳ δ' ἐπίστευεν.*

1) Cfr Æsch. F. L. § 132: *οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ πρότερον πρὶν ἢ τὴν πρὸς ἡμᾶς εἰρήνην γενέσθαι πρέσβεις πρὸς ὑμᾶς ἦλθον ἐκ Φωκέων.* Groteus aliam quoque caussam attulit, cur Phalaecus Thermopylas Atheniensibus non traderet (XI: 523): timuisse eum, ne Athenienses, si summam rerum nacti essent, iis, a quibus evocati erant, faverent: "*It could not have originated (as Æschines alleges) in superior confidence and liking towards Philip; for if Phalaekus had entertained such sentiments, he might have admitted the Macedonian troops at once; which he did not do until ten months later, under the greatest pressure of circumstances.*" — Cfr Thirlw. V: 367; *We cannot but suppose that Phalaecus wished to remain in his country, and to retain his dignity, and that he would not have rejected any aid for this purpose which did not endanger his independence.*

niensium a Phocensibus avertendos[1]; nam usque ad finem belli et Atheniensium cum Phocensibus societas tenuit, et Atheniensium navium classis adornata et in Thermopylas versa, si quid moveret Philippus[2], documento erat, Phocensium pericula Athenienses a se non aliena putare.

Restituto in imperium Phalaeco rursus in Boeotiam omnis belli terror inclinavit[3]. Ibi Phocenses agros pervastare; Thebani, super bellum premente etiam stipendii inopia, in summas adduci angustias[4]. Nam auxilia a Philippo missa nihil profecere ad arcendas populationes, non laborantibus praesertim Phocensibus unde exercitum reficerent, si quid accidisset. Nec erant incursiones modo in agros aut subiti impetus Phocensium, sed summa totius rei in Boeotia posita erat, multis illius terrae urbibus, quas antea Thebani servitute oppresserant, a Phocensibus in libertatem vindicatis et adversus Thebanos concitatis[5]. Aliquoties

1) Recte Thirlwallus (V: 341): "The Athenians, though offended with his conduct, may have distinguished between his party and the public cause."

2) Dem. F. L. § 322: *τὴν δὲ βοήθειαν ἔδει κωλῦσαι τὴν εἰς τὰς Πύλας, ἐφ' ἣν αἱ πεντήκοντα τριήρεις ὅμως ἐφώρμουν, ἵν', εἰ πορεύοιτο Φίλιππος, κωλύοιθ' ὑμεῖς.* Cfr ibid. § 123: *τριήρων οὐσῶν ὑμετέρων ἐκεῖ καὶ τῆς θαλάττης κρατουσῶν.* Res ab Æschine ipso confirmatur in ejus or. de F. L. § 37. Cfr Grot. XI: 524 ult., 526, 571.

3) Diod. XVI: 58. Thirlw. V: 367: "it appears that after his restoration he (Phalaecus) had carried on the war in Boeotia with unabated success."

4) Diod. l. c.: *οἱ Βοιωτοί, θλιβόμενοι μὲν τῷ πολέμῳ, καὶ πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπολωλεκότες, χρημάτων δὲ ἀπορούμενοι.*

5) Diod. l. c: *κατὰ δὲ τὴν Βοιωτίαν, οἱ μὲν Φωκεῖς τρεῖς πόλεις ἔχοντες ὠχυρωμένας Ὀρχομενὸν καὶ Κορώνειαν καὶ Κορσιάς, ἐκ τούτων ἐποιοῦντο τὴν ἐπὶ τοὺς Βοιωτοὺς στρατείαν.* Cfr Schol. ad Dem. Phil. II: § 13 (Vol. VIII, pag. 168 ed. Ddrfii): *οἱ Ὀρχομένιοι καὶ οἱ Κορώνειαν οἰκοῦντες σωζομένων τῶν Φωκέων ἐλεύθεροι καθ' ἑαυτοὺς ἦσαν.* Cfr Flathei Gesch. Maced. I: p. 190: "Die Verhältnisse aber der Phozier zu ihren Bundesgenossen sind dieselben geblieben. *Der Aufstand der*

etiam signis collatis certatum est; quod tantum abfuit ut prolapsam Thebanorum rem restitueret, ut semper fere gens Phocensium, magna Thebanorum edita caede, superior discederet[1]). Ita bellum trahi; Thebani, projecta semetipsos defendendi spe, aliena auxilia nequicquam circumspectare[2]); Phocenses, quum ad profligatum fere jam bellum uno certamine conficiendum vires vix suppeterent[3]), in haud vanam

Böotier unterstützt sie fortwährend; Orchomenos, Koroneia, Thespiae, Platäa, Tilphossoa, Korsiae scheinen immer gemeinsamme Sache mit den Phoziern gemacht zu haben, und von ihnen besetzt gewesen zu sein.

1) Diod. l. c. (*οἱ Φωκεῖς*) *εὐπορούμενοι μισθοφόρων, τήν τε χώραν ἐδῄουν, καὶ κατὰ τὰς ἐπιθέσεις καὶ συμπλοκὰς περιεγίνοντο τῶν ἐγχωρίων.* Ibid. (*οἱ Βοιωτοὶ*) *πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν ἀπολωλεκότες.*

2) Diod. l. c. Cfr Dem. F. L. § 148: *Φωκεῖς Θηβαίων ἐκράτουν. εἶχόν γε Ὀρχομενὸν καὶ Κορώνειαν καὶ τὸ Τιλφωσσαῖον, καὶ τοὺς ἐν Νέωσιν ἀπειλήφεσαν αὐτῶν, καὶ ἑβδομήκοντα καὶ διακοσίους ἀπεκτόνεσαν ἐπὶ τῷ Ἡδυλείῳ, καὶ τρόπαιον εἱστήκει, καὶ ἱπποκράτουν, καὶ κακῶν Ἰλιὰς περιειστήκει Θηβαίους.* Cfr ibid. § 141: *τοῖς Θηβαίοις . . . πονοῦσι καὶ ταλαιπωρουμένοις ἤδη τῷ πολέμῳ καὶ ἡττωμένοις.* Quod ne quis putet Demosthenem studio ductum contra rem et veritatem dixisse, Æschines ipse [or. in Ctes. § 140] dixit: *τὸν πόλεμον . . . ἐξήλασεν ἐκ τῆς χώρας τῆς Βοιωτῶν.* Cfr Isocr. or. ad Phil. § 54: *ἀντὶ μὲν τοῦ λαβεῖν κ. τ. λ.* (Cfr pag. nostr. 104, adn.).

3) Diod. XVI: 59: *Βοιωτῶν καὶ Φωκέων τεταπεινωμένων διὰ τὸ μῆκος τοῦ πολέμου.* Cui loco cave ne nimium tribuas, quippe ubi nihil aliud significari videatur, quam rem Phocensium non ad id fastigii pervenisse, quo Onomarchi aetate evecta esset; si quidem et paullo ante dixit Diodorus, Phocensium rem Thebanis fuisse longe superiorem, et non multo post narrat, Phalaecum magno mercenariorum exercitui praefuisse (*μισθοφόρων πλῆθος ἔχοντα Φάλαικον*, l. c.). Paullo ante: *εὐπορούμενοι μισθοφόρων Φωκεῖς.* Cfr cap. 59 extr., ubi quum de Philippi et Phalaeci pacto commemoravit, haec addit: *ὁ δὲ βασιλεὺς ἄνευ μάχης ἀνελπίστως*(!) *καταλύσας τὸν πόλεμον.* Cfr Brückn. Kön. Phil. p. 191: "Das Land der Epiknemidischen Lokrer und die Städte, wodurch der Pass der Thermopylen beherrscht wurde, waren in Phalaekos Händen. Von ihm also hing die Vertheidigung der Thermopylen ab. *Das Heer, das unter ihm stand, war zahlreich genug dazu; auch erwartete Philip anfangs ein Treffen.*"

Thebanorum defatigationis spem modicis contentionibus tempus terere[1]).

---

1) Cfr Dem. de Cor. § 19: *ταλαιπωρούμενοι τῷ μήκει τοῦ πολέμου οἱ τότε μὲν βαρεῖς νῦν δ' ἀτυχεῖς Θηβαῖοι φανεροὶ πᾶσιν ἦσαν ἀναγκασθησόμενοι καταφεύγειν ἐφ' ὑμᾶς.* Haec contra rem Demosthenem dixisse, Flatheus (Gesch. Maced. I: 191) suspicatur; cujus sententiam secutus videtur G. F. W. Lundius, qui in adn. ad hunc locum (Udvalgte Taler af Dem. T. II) haec scripsit: "*Naar det siges, at Theben efter at have lidt flere nederlag af Fokeerne vilde blive tvunget til at slutte sig til Athen, da er dette lidet sandsynligt.*" Groteus (XI: 521), Dissenius (Dem. or. de Cor. p. 185), Dindorfius (Dem. T. V: p. 316) Demostheni fidem tribuunt; quod haud scio an jure fecerint. Nam quam afflictae fuerint illo tempore Thebanorum res, jam satis demonstratum est; vide insuper Isocr. or. ad Phil. § 55: *εἰς τοῦτο δ' αὐτῶν περιέστηκε τὰ πράγματα, ὥστ' ἐλπίσαντες ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας ὑφ' αὐτοῖς ἔσεσθαι νῦν ἐν σοὶ τὰς ἐλπίδας ἔχουσι τῆς αὐτῶν σωτηρίας.* Haec oratio scripta est post pacem Philocrateam sed antequam bellum Phocense finitum est (Schaef. Dem. II: 221; adn. 2). Quod si constat, inde a morte Onomarchi usque ad pacem factam Thebanos a Philippo, cujus auxilium iterum iterumque implorarent, ne tantum quidem adjutos fuisse, ut suos fines defendere possent (Diod. XVI: 58; Thirlw. V: 349); quis est, cui non verisimile videatur, eos, ni Philippus intervenisset, ad Athenienses sese applicaturos fuisse, quo impetrarent, ut, intercedentibus Atheniensibus, bellum aequis conditionibus componeretur. — At erant Athenienses magno Thebanorum odio incensi. — Erant; sed omnes fere tum, qui quidem aliquid apud populum valerent, in id incubuisse, ut bellum Phocense ea lege finiretur, quâ neque Thebani Boeotiae dominationem amitterent, et Phocensium saluti et libertati caveretur, satis constat. Ipsum *Eubulum*, cujus maxima erat apud populum auctoritas, operam dedisse, ut Athenienses cum Thebanis in gratiam redirent, manifestum fit e Dem. de Cor. § 162. Cfr Thirlw. V: 328: "he may have hoped that, as the price of her accession to the Theban side, she might obtain terms of safe and honourable peace for the Phokians, which would deprive Philip of all pretext for interference." *Demosthenem* de his rebus idem sensisse, omnibus planum fiet, si viderint, quae elegantissime de hac re disputarunt Schaeferus (Dem. II: p. 178, sqq.) et Thirlwallus (V: 328, 329). Quid? quod *Atheniensium populus* decreto quodam diserte edixit, se Thebanorum in Peloponneso sociis, si Lacedaemonii eos bello lacessissent, opem laturum [Pausan. IV: 28: 2: *ἀρχόντων Λακεδαιμονίων πολέμου καὶ ἐπιστρατευόντων τῇ Μεσσηνίᾳ παρέσεσθαι καὶ αὐτοὶ σφίσιν ἐπηγγέλλοντο* (*οἱ Ἀθηναῖοι*)], quid indicat, nisi quod dixit Thirlwallus (V: 335): "a step towards a reconciliation with Thebes"? Quae quum ita sint, et verum est, quod suae aetatis

De bello sacro ad rei necessitudinem satis dictum puto, neque nunc nisi admodum pauca mihi monenda videntur, priusquam illuc, unde deflexerit, revertatur oratio. Demonstratum volui et locis multorum scriptorum allatis [1])

homines putasse affirmat Isocrates: "Thebanos suam cum Phocensibus discordiam componere voluisse" (Isocr. or. ad Phil. § 50); neque a vero abhorret, quod Demosthenes l. c. affirmat, Thebanos ejus rei caussa sese ad Athenienses applicaturos fuisse, quum praesertim maximis difficultatibus circumventi essent. Jure igitur scribere mihi videor, Phocenses in haud ignominiosae pacis spem bellum duxisse: Cfr Thirlw. V: 332, init.

1) Dem. F. L. §§ 148, 141, Æsch. in Ctes. § 140 (cfr p. nostr. 113, adn. 2); Diod. Sic. XVI: 58 (cfr p. nostr. 112, adn. 4, 5); Diod. Sic. XVI: 56: *οἱ Φωκεῖς, εὐπορούμενοι μισθοφόρων περιεγίνοντο τῶν πολεμίων.* Isocr. or. ad Phil. § 54 (cfr p. nostr. 104, adn.). Cfr Isocr. or. ad Phil. § 50: *οἱ Λακεδαιμόνιοι διατελοῦσι δεδιότες μὴ Θηβαῖοι διαλυσάμενοι τὰ πρὸς Φωκέας κ. τ. λ.*, et Dem. de Cor. § 19 (p. nostr. 114, adn.). Winiewsk. Comment. p. 71: "*Thebani in ipsa Boeotia a Phocensibus pressi, qui Orchomenum, Corsias et Coronaeam obtinebant, et clade affecti, externa auxilia circumspicere cogebantur. Phocenses, armis superiores, consumptis tamen jam templi divitiis, inter se dissidebant.*" [At vide Diod. Sic. l. c. et pp. nostr. 104, 105; 109, adn. 3, extr.; 110]. "*Obstabant tamen Athenienses* (*Philippo*), *bello tum cum eo occupati, iidemque Phocensium socii. Eorum enim praetor Proxenus cum classe ad Oreum versabatur, unde facile praecludi transitus poterat, id quod Ol. jam CVII: 1, Philippus expertus erat, si petiturum se cum exercitu Thermopylas Athenienses comperissent; atque L triremium classem paratam Athenienses habebant, ut si quid ejusmodi fieret continuo impediretur.*" — Brückn. (Kön. Phil. p. 146): "Wie sehr auch die Phokier durch die Länge des Krieges und den allmählig eintretenden Geldmangel geschwächt waren, so waren sie doch in entschiedenem Vortheil gegen die Thebaner . . . Ihr Land hatte nirgends einen festen Platz an dieselben verloren, während von Böotischen Städten Orchomenus, Korsiä, Koronea, und Tilphossäon in ihren Händen waren. Auch die letzten Kriegsereignisse waren grösstentheils glücklich für sie gewesen. Nur von Philippos drohte ihnen Gefahr." — Cfr Flath. Gesch. Maced. I: 190 (p. nostr. 112, adn. 5). — Grot. XI: 524, sequ.: "To Philip, the pass of Thermopylae was of incalculable importance. It was his only road into Greece; it could not be forced by any land-army; while at sea the Athenian fleet was stronger than his. In spite of the general remissness of Athens in warlike undertakings, tho had now *twice* manifested her readiness for a vigorous effort to maintain Thermopylae against him . . . To Athens, to Sparta, to the general cause of Pan-Hellenic

comprobatum, sub finem belli attritas quidem fuisse Phocensium opes, Thebanorum vero exhaustas; Phocenses res domesticas jam composuisse, Thebanos ne ab hac quidem re non laborasse, propter multarum urbium ad Phocenses defectionem; Phocensibus denique neque magna stipendii inopia neque adversa belli fortuna pressis Thebanos his quoque calamitatibus fuisse circumventos. — Age, inquies, ista parva sunt; Philippum cum Thebanis stetisse, id magnum. — Fateor; sed ex iis, quae jam dicta sunt, omnibus apparere arbitror, Phocenses contra Philippi impetus satis fuisse societate Atheniensium munitos. Nam constat, ne tum quidem, quum prorsus afflictae essent Phocensium res, Philippum Phocensibus perniciem struentem quidquam profecisse, Atheniensibus Thermopylas custodientibus; sub finem autem belli praeterquam quod Phalaecus Thermopylas satis valido praesidio teneret, ab Atheniensibus adornatam fuisse classem, Phocensibus, si ita opus fuisset, auxilio futuram. Haec praemuniuntur omnia, quo facilius, quum ad extremum caussae erit ventum, appareat, quid inter varia oratorum crimina statuendum sit; nunc ad rem redeo.

Vidimus Athenienses pacem inire noluisse nisi ea lege, ut Phocenses pacis participes fierent, Philippi vero legatos

independence it was of capital moment that Philip should be kept on the outside of Thermopylae. And here Athens had more at stake than the rest; since not merely her influence abroad, but the safety of her own city and territory against invasion, was involved in the question . . . It was the first interest, as well as the first duty, of Athens, to keep Philip out. *With tolerable prudence, her guarantee of the pass might have been made effective.*" Ibid. p. 564: "That pass was held by the Phokians, with a body of Lacedaemonian auxiliaries; *a force quite sufficient to maintain it against Philips open attack, and likely to be strengthened by Athens from seaward, if the Athenians came to penetrate his real purposes.*" — Cfr Brückn. Kön. Phil. p. 191 (p. nostr. 113, adn. 3).

negasse, id eum passurum. Commemoravimus, Æschinem et Philocratem tum in se recepisse, Philippum id Atheniensibus condonaturum, dummodo ne in pacis legibus scriberetur; quamquam ne sic quidem Athenienses pacem inire volebant, et pacis carmen ita scribi jusserunt, ut Phocensibus pacis aditus pateret. Num ea lege pacem initurus esset Philippus, nondum apparebat; relinquebatur, ut legati Atheniensium, quam citissime in Thraciam profecti, exquirerent, num Philippus in pacem, qualem tulissent Athenienses, vellet jurare; quod si negasset, id domum renuntiandum erat, ne Philippus, neglecto Athenis propter pacis spem belli apparatu, necopinato Phocenses bello peteret. Huic rei quomodo provisum sit a legatis, ex iis, quae jam dicta sunt, unicuique manifestum esse arbitror: neglecta reipublicae utilitate, neglecta senatus populique voluntate, neglectis denique Demosthenis adhortationibus, reprehensionibus, criminationibus, profectionem procrastinarunt, iter tarde fecerunt, Pellamque venientes in Thraciam ad Philippum proficiscendi consilium abjecerunt. Reliquae legationis partes principii similes fuere. Pellam rediit Philippus devicto Cersoblepte; Demosthenes monet, ut legati, quid jussisset populus, memores, Philippum jurejurando adigerent, quo appareret, quaenam ejus essent de Phocensibus consilia; adversatur Æschines, dictitans, quae in legatione gererent, ea non tam ad populi voluntatem quam ad arbitrium legatorum esse referenda[1]). Exercitum denuo instruit Philippus, neque cuiquam non erat manifestum, eum Phocenses

1) In his rebus Æschinem ipsum auctorem sequi licet (F. L. §§ 101—107). Ut Philippus quam citissime jurejurando adstringeretur, quod jusserat populus, id curandum non censuit [l. c. § 103, cfr § 105: *δεῖ δὴ τοὺς πρὸς τὰ κοινὰ φιλοτιμουμένους μὴ κατέχειν μὲν ἑτέρων χώραν πρέσβεων*]. Cfr ibid. § 101: *ἀνεγνώσθη μὲν τὸ ψήφισμα, καθ' ὅ ἐπρεσβεύσαμεν. καὶ τὰ προστεταγμένα ἡμῖν πρὸς τῷ τοὺς ὅρ-*

spectare [1]). Quid censes? Exspectas aliquam Æschinis trepidationem si non de Phocensium salute at de sua ipsius apud Athenienses existimatione. Sed vix est quidquam, quod non istius audacia admiserit! Nam quum Demosthenes et antea et tum ipsum id spectaret, ut Thebanorum cum Phocensibus et Atheniensibus discordia componeretur [2]), quo deesset Philippo Phocidem invadendi occasio, Æschines et Thebanos ad iram et arma concitare studuit [3]), et magna voce Philippum adhortatus est, ut Phocidem intraret, frustra hortante Demosthene esse legatis, si se ipsos culpa libertatos vellent, non alienas res curandas sed ea, quae de Philippo ad jusjurandum adigendo jussisset populus, perficienda [4]). Quid

---

κους ἀπολαβεῖν συνηριθμούμεθα· ὡς δὲ οὐδεὶς ὑπὲρ τῶν μεγίστων ἐμέμνητο, ἀλλὰ περὶ πραγμάτων ἐλαττόνων τὴν διατριβὴν ἐποιοῦντο κ. τ. λ. — Demosthenem adversatum esse, apparet e § 107, ubi dicitur Demosthenes respondisse: *οὐδείς με τῶν ὅπλων ἕνεκα τῶν Φιλίππου κρινεῖ, ἀλλ' ἂν εἴπω τι μὴ δέον ἢ πράξω τι τῶν μὴ προστεταγμένων.*

1) Æsch. F. L. §§ 103, 107, 114, 132.

2) Vide Schaef. Dem. u. s. Z. II: 178, sequ.

3) Ut Philippus in Phocidem arcesseretur, id longe antiquissimum habuit Æschines, licet probe sciret, populum nihil de hac re jussisse (F. L. § 104). Adversatus est Demosthenes (ibid. §§ 107, 108). — Quo res turbarentur et Philippo inter summam omnium discordiam Phocidem invadendi occasio daretur, Æschines Atheniensium etiam cum Thebanis discordiam augere studuit (l. c. § 104, 105); adversatus est Demosthenes [ibid. § 106: *ἀπαγορεύω μὴ συνταράττειν ἡμᾶς πρὸς ἀλλήλας τὰς πόλεις,* (*Δημοσθένης εἶπεν*)].

4) Æsch. F. L. § 107. De oratione Æschinis ad Philippum in Phocidem vocandum habita vide Æsch. F. L. §§ 113—119. Id quidem verum est, Æschinem Philippum non ad perdendos Phocenses sed ad cohibendos Thebanos hortatum esse; at utrumque vitandum fuit, neque quidquam enixius curandum, quam ut jurejurando adstringeretur Philippus, quo appareret, num pacem, qualem tulissent Athenienses, inire vellet. Hoc contra senatus populique voluntatem omisit Æschines. Praeterea bene monuit Schaeferus (Dem. II: 241): "*Was konnte ihm (Philipp) erwünschter sein, als dass ein Gesandter der Athener, welche ihm früher*

deinde? Procrastinante jusjurandum Philippo, censuit Demosthenes, ut litterae de hac re Athenas mitterentur; prohibent Æschines ejusque asseclae [1]). Estne aliquid ultra, quo perfidia progredi possit? Reperietur. Nam e populiscito legatis curandum erat, ne Philippus in pacem juraret nisi ita, ut Phocensibus et Halensibus pacis communio daretur; tamen, quum tandem dies jurisjurandi venisset, legati Philippo concesserunt, ut Phocenses et Halenses e pace excluderentur [2]). Nihil jam addi posse videtur ad hanc improbitatem, et recte nihil videtur; sed optimi illi legati in Macedonia id egerunt, ut superiora sua facinora novis sceleribus vincerent. Quum populiscito interdictum esset, ne quis legatorum secreto cum Philippo colloqueretur [3]), Æschines saepe cum Philippo egit remotis arbitris [4]); quum

---

die Thermopylen verlegt hatten, . . . jetzt vertrauensvoll die ganze Entscheidung in dem Tempelstreite in seine Hände legte? Da mochte Æschines sich mit gelehrtem Prunke ergehen über die Satzungen der Vorfahren, und seine fromme Verehrung für das delphische Heiligthum beurkunden; Philipp war es recht dieselbe Rolle zu spielen und die Thaten seiner Herrschsucht mit dem Scheine der Gottesfurcht zu umkleiden; da mochte Æschines auch mit heftigen Worten gegen die Thebaner zu Fehde ziehen; empfahl er doch die Phokier eben auch nur der Gnade Philipps." — Eodem fere modo Thirlw. V: 360. — Calumniarum plena sunt, quae Æsch. (F. L. §§ 109, sequ.) de Demosthenis oratione coram Philippo habita commemorat; vide Schaef. Dem. II: 242; Grot. XI: 562; Thirlw. V: 359, 360.

1) Dem. F. L. §§ 174, 279. Fidem Demostheni tribuit Schaeferus (II: 247); dubitant Shilleto (Dem. Or. F. L. pag. 107) et Thirlwallus (V: 362); at vide Grot. XI: 564. Nihil respondit Æschines.

2) Dem. F. L. §§ 174, 44, 278. Nihil respondere potuit Æschines.

3) Dem. F. L. § 278.

4) Dem. F. L. §§ 175, 278, 36; Æschinem partim die partim noctu remotis arbitris cum Philippo egisse demonstratum vult testimoniis collegae Dercyli et servi cujusdam; praeterea rem comprobare voluit testimonio quodam suo ipsius, συγγραφῇ vocato (F. L. § 176), de quo vide Ulpiani et Taylori adn. (in Ddorfii Dem. Vol. V, p. 542). Etiam reliquos collegas jurejurando rogare voluit Demosthenes, utrum Æschinem

populus jussisset, ut reipublicae pro viribus consulerent, illi neglectis reipublicae commodis in omnibus rebus Philippo morigerati sunt. Socios igitur Philippi jurejurando adstrinxerunt non tum, quum oportuit, sed quum commodis Philippi conveniret[1]; Philippoque instructo cum exercitu e Macedonia in Graeciam iter intendente, tantum abest ut Athenas properanter navigando et rem renuntiando speciem bonorum virorum tueri voluerint, ut Philippo indulgentes terrestri itinere cum eo profecti sint[2]; quo factum est ut,

---

secreto cum Philippum collocutum esse scirent, necne. Hi jusjurandum detrectasse videntur (Dem. F. L. § 177). — Respondit Æschines in or. F. L. §§ 124—127; et rem repetivit a criminatione quadam, de qua dubitari possit, num umquam a Demosthene prolata sit, quippe quae in ejus orationibus non inveniatur (vide Boehn. Forsch. I: p. 408: 3; Lachm. Gesch. Griech. II: 100; Schaef. Dem. III: 2; p. 70). Utcumque est, de *nocturnis* colloquiis et de epistola ad defendendos legatos composita (quam *Æschinem* Philippo scripsisse Demosthenes criminatus erat) satis se purgasse videtur Æschines [vide Shilletonis adn. in Dem. Or. F. L. p. 107; Schmidtii Quaest. de F. L. p. 24; Grot. XI: 569; Boehn. l. c.]; se *die* cum Philippo secreto esse collocutum, negare non potuit, nedum refutare (cfr Lachm. l. c.; Schaef. Dem. II: 251).

1) E decreto legati debuerunt "*τοὺς ἄρχοντας ὁρκοῦν τοὺς ἐν ταῖς πόλεσιν*" (Dem. F. L. §§ 161, 278). Hoc omiserunt; vide Dem. F. L. § 158, ubi quum dicit Demosthenes "*οὐδ᾽ ὅτ᾽ ἐκεῖσε ἐπορεύοντο, οὐδ᾽ ὅτ᾽ ἐκεῖθεν δεῦρο, τοὺς ὅρκους ἔλαβον*", injuste agit, quod docuit Schaeferus, Dem. u. s. Z. II p. 248, adn. Nullus igitur Philippi socius jurejurando est adstrictus, donec Pheras venit Philippus, Phocidem invasurus (Dem. F. L. § 158); quamquam ne tum quidem omnes adstricti sunt (Dem. F. L. § 278; Æsch. F. L. § 129). Quantum haec profuerint Philippo, videre licet e Dem. F. L. §§ 159, 160; cfr Brückn. Kön. Phil. p. 172; Boehn. Forsch. I: 407; Schaef. Dem. II: 247; ipse Philippus necessarium putavit, in epistola ad Athenienses scripta legatos defendere: "voluisse legatos ad jusjurandum exigendum singulas urbes visitare; se ipsum vero eos prohibuisse" (Dem. F. L. §§ 36, 37).

2) Dem. de Cor. § 32; F. L. § 322—325; cfr § 34: *ἦν γὰρ τοῦτο πρῶτον ἁπάντων τῶν ἀδικημάτων, τὸ τὸν Φίλιππον ἐπιστῆσαι τοῖς πράγμασι τούτοις, καὶ δέον ὑμᾶς ἀκοῦσαι περὶ τῶν πραγμάτων, εἶτα βουλεύσασθαι, μετὰ ταῦτα δὲ πράττειν ὅ τι δόξαι, ἅμ᾽ ἀκούειν κἀκεῖνον παρεῖναι καὶ μηδ᾽ ὅ τι χρὴ ποιεῖν ῥᾴδιον εἰπεῖν εἶναι.* Tam apertum erat

quo die Athenas venirent legati, eodem die Philippus ad Thermopylas perveniret[1]).

Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? Tamen haec aliis flagitiis cumulant atque adaugent Æschines et Philocrates. Domum veniunt legati die XIII mensis Scirophorionis; die XV legationem in senatu renuntiat Demosthenes[2]). Rem quomodo acta sit explicat. Legatos, quae festinando servare debuerint, ea perfide cunctando pessumdedisse. Ita Cersobleptem, socium Atheniensium, esse perditum; nunc Phocensibus ipsis cladem et perniciem strui; Philippum enim jam Thermopylas venisse. Quid igitur faciendum? Promissis vel Philippi vel legatorum crederent? At quantum illorum promissis tribuendum esset, e Cersoblepte devicto et Phocensibus e pace et foedere exclusis satis apparere. An domi sedendum? At pestifera illa legatorum cunctatione rem summum in discrimen esse adductam. Ne igitur id, quod reliquum fortuna fecisset, Philippo praedae esse sinerent; Phocensibus opem ferrent; quod si negligerent, Phocenses eandem quam Cersobleptem cladem oppressuram[3]). Haec omnibus probantur; consilia Demosthenis patres sua auctoritate suasisse videntur[4]); quodque omnibus

---

legatorum crimen, ut Philippus de hac quoque re legatos purgandos censeret: "se iis persuasisse, ut secum proficiscerentur, quo sibi auxilio essent in Halensibus et Pharsaliis reconciliandis" (Dem. F. L. §§ 36, 37, 39).

1) Die XIII mensis Scirophorionis; vide Dem. F. L. §§ 34, 58; Winiewsk. Comment. pag. 105.

2) Boehn. Forsch. I: 408: 5; Schaef. Dem. II: 251.

3) Dem. F. L. §§ 17, 18: *κατηγόρησα τούτων, καὶ ἀνηριθμησάμην . . . εἰς ἃ προήχασι τὴν πόλιν, καὶ περὶ τῶν ὑπολοίπων (ταῦτα δ' ἦν Φωκεῖς καὶ Πύλαι) μὴ προέσθαι συνεβούλευον. μηδὲ ταὐτὰ παθεῖν μηδ' ἀναρτωμένους ἐλπίσιν ἐξ ἐλπίδων καὶ ὑποσχέσεσιν εἰς τοὔσχατον ἐλθεῖν τὰ πράγματ' ἐᾶσαι.*

4) Dem. F. L. § 19: *ἔπεισα ταῦτα τὴν βουλὴν.* Cfr Grot. XI: 571; Schaef. II: 252; Brückn. p. 179.

legatis, qui quidem integre et incorrupte legationes obiissent, dari mos erat, ut coronarentur et ad epulum in Prytaneum vocarentur, id tum ex auctoritate patrum his legatis non datum est; tanta in eos invidia et suspicio commota[1]).

Venio nunc eo, unde nisi intellexeris Æschinem proditionis crimine teneri, virum optimum eum judicato! Die XVI mensis Scirophorionis concio legationis renuntiandae caussa habetur; occupat suggestum Æschines. De Cersoblepte superato nulla mentio; de Phocensibus e pace et foedere exclusis ne unum quidem verbum. Immo Philippum a se esse eo adductum, ut et de Phocensibus et de aliis rebus populo morigerari velit[2]), Philippum ad Thermopylas cum exercitu venisse commemorat; magna statim populi trepidatio et in legatos, qui nimis sero id nuntiaverint, ira atque indignatio[3]). Tum Æschines ad deleniendas populi iras "bono", ait, "animo essent. Quippe se Philippo persuasisse esse a Thebanis, non a Phocensibus sacrilegii poenam repetendam. Venisse igitur Philippum, socium Atheniensium, non hostem; eum Thebanos coërciturum esse, Phocenses servaturum, urbes Boeotiae, qui cum Phocensibus stetissent, in libertatem vindicaturum. Quae omnia, ut Philippo in animo sint, sic post paucos dies gestum iri, si pacem servantes domi maneant Athenienses; id se spon-

1) Dem. F. L. §§ 31, 32; negat Æschines, dictitans, se tum quoque, rogante ipso Demosthene, senatus decreto laudatum esse (Æsch. F. L. §§ 121, 178). At neque legatos tum laudatos fuisse, neque se omnino illud decretum tulisse, id satis demonstravit Demosthenes (l. c.) recitando et ipsum decretum et testimonium ejus, qui decretum tulerat.

2) Vide Dem. F. L. §§ 20, 35, 74; de Cor. § 35. His promissis adeo sibi audientiam fecit Æschines, ut ne recitaretur quidem illud senatusconsultum, e sententia Demosthenis scriptum (Dem. F. L. § 35).

3) Dem. F. L. § 35; Grot. XI: 573; Brückn. p. 179.

dere[1]), quippe qui adeo Philippi animum a Thebanis averterit, ut illi praemium proposuerint, si quis ipsum

1) Dem. F. L. §§ 112, 220, 325—327; Dem. de Cor. § 35: *τίνες οὖν ἦσαν οἱ παρὰ τούτου λόγοι τότε ῥηθέντες, καὶ δι' οὓς ἅπαντ' ἀπώλετο; ὡς οὐ δεῖ θορυβεῖσθαι τῷ παρεληλυθέναι Φίλιππον εἴσω Πυλῶν· ἔσται γὰρ ἅπανθ' ὅσα βούλεσθ' ὑμεῖς, ἂν ἔχηθ' ἡσυχίαν, καὶ ἀκούσεσθε δυοῖν ἢ τριῶν ἡμερῶν, οἷς μὲν ἐχθρὸς ἥκει, φίλον αὐτὸν γεγενημένον, οἷς δὲ φίλος, τοὐναντίον ἐχθρόν.* Dem. F. L. § 20: *ἔφη γὰρ ἥκειν πεπεικὼς Φίλιππον ἅπανθ' ὅσα συμφέρει τῇ πόλει, καὶ περὶ τῶν ἐν Ἀμφικτύοσι καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ . . . ἀπελογίζετο ἐκ τῶν ἑαυτῷ πεπρεσβευμένων δυοῖν ἢ τριῶν ἡμερῶν ὑμᾶς, μένοντας οἴκοι καὶ οὐ στρατευομένους οὐδ' ἐνοχλουμένους, Θήβας μὲν πολιορκουμένας αὐτὰς καθ' αὑτὰς χωρὶς τῆς ἄλλης Βοιωτίας ἀκούσεσθαι, Θεσπιὰς δὲ καὶ Πλαταιὰς οἰκιζομένας, τῷ θεῷ δὲ τὰ χρήματα εἰσπραττόμενα οὐ παρὰ Φωκέων ἀλλὰ παρὰ Θηβαίων.* § 220: *εἰπόντες Φίλιππον φιλεῖν τὴν πόλιν, Φωκέας σώσειν, Θηβαίους παύσειν τῆς ὕβρεως.* § 112: *οὗτος ἔφη, (Φίλιππον) . . . τοὺς μὲν Φωκέας οὐκ ἀπολεῖν, τὴν δὲ Θηβαίων ὕβριν καταλύσειν.* — Ad haec *gravissima* omnium crimina breviter et quasi praeteriens Æschines respondit: "nihil ejusmodi se *pollicitum esse;* tantummodo *narrasse*, se homines convenisse, qui putarent, talia eventura esse" (Æsch. F. L. § 119: *τοῦτο οὐκ ἀπαγγεῖλαι, ἀλλ' ὑποσχέσθαι μέ φησιν.* Ibid. § 120: *ταῦτα οὐ διηγήσασθαί με φησὶν, ἀλλ' ἐπηγγέλθαι . . . ἐγὼ δὲ ὑπειλήφειν δεῖν τὴν πόλιν τὴν ὑπὲρ τῶν ὅλων μέλλουσαν βουλεύεσθαι μηδενὸς λόγου Ἑλληνικοῦ ἀνήκοον εἶναι*). — Nimirum quum legationis reddenda esset ratio, tum non renuntiandum erat, quid a Philippo impetrassent; immo hoc praetereundum, rumusculi renuntiandi! Recte Westermannus (Quaest. Dem. III: p. 48): "*non audet Æschines negare, talia se dixisse; modo consilium ac rationem negat. Quis autem non videt, haec concedenti Æschini, qui oratorie et exaggerare et deminuere omnia solet, concedenda esse omnia!* Cfr Frankii Prolegg. p. 35; Thirlw. V: 363, sequ.; Grot. XI: 595; Schaef. Dem. II: 383.

Ne putes, de promissis Æschinis fidem esse Demostheni derogandam, quippe cui in or. F. L. propositum fuerit, ut ad judices in Æschinem exacerbandos omnia exaggeraret: eadem iisdem fere verbis narravit in Or. de Pace, licet tum neque ejusmodi quidquam ei propositum esset (Grot. XI: 573), et recens esset rerum memoria, si quidem illa oratio tantummodo *duobus mensibus* (Stechow. vit. Æsch. pp. 50, 53; Boehn. Forsch. I: 734; Schaef. Dem. III: 332) post has res gestas habita est. Vide § 10 illius orationis: *ἡνίκα τοὺς ὅρκους τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης ἀπειληφότες ἥκομεν οἱ πρέσβεις, τότε Θεσπιάς τινων καὶ Πλαταιὰς ὑπισχνουμένων οἰκισθήσεσθαι, καὶ τοὺς μὲν Φωκέας τὸν Φίλιππον, ἂν γένηται κύριος, σώσειν, τὴν δὲ Θηβαίων πόλιν διοικιεῖν, καὶ τὸν Ὠρω-*

exstinxerit"[1]). Addit, etiam alia quaedam Atheniensibus utilissima se a Philippo impetrasse; quamquam de iis aperte loqui sibi non liceat propter collegarum invidiam[2]).

Quum Æschinis orationem subsecutus populi assensus esset, constat, adversus laetitiam civium, quos magna in Philippum confidentia ceperat, vocem Demosthenis spernentis promissa Æschinis fuisse auditam. Enixe negavit Philippum ejusmodi quidquam promisisse; perfidiamque legatorum, ut pridie in senatu, sic tum in concione patefacere aggressus est[3]); tanta autem ex invidia et suspicione in Æschinem orta erat propter laetam ejus orationem benevolentia et fiducia, ut a populo Demosthenes non audiretur[4]). Interpellant praeterea hinc Æschines, Philocrates illinc; clamant,

---

πὸν ὑμῖν ὑπάρξειν, καὶ τὴν Εὔβοιαν ἀντ' Ἀμφιπόλεως ἀποδοθήσεσθαι κ. τ. λ. Eodem fere modo in Or. Phil. II: §§ 29, 30 dixit: (*ἦν δίκαιον καλεῖν*) *τοὺς λέγοντας ὡς Φίλιππος, ἅπερ εὔξαισθ' ἂν ὑμεῖς, ἐὰν παρέλθῃ, πράξει, καὶ Θεσπιὰς μὲν καὶ Πλαταιὰς τειχιεῖ, Θηβαίους δὲ παύσει τῆς ὕβρεως, Εὔβοιαν δὲ καὶ τὸν Ὠρωπὸν ἀντ' Ἀμφιπόλεως ὑμῖν ἀποδώσει.*

1) Dem. F. L. §§ 21, 35, 74; quantum his Æschinis verbis tribuendum sit, satis docuerunt Weiskius (de Hyperbole, errorum in Historia Philippi commissorum genitrice, II: p. 23), Stechowius (Vit. Æsch. p. 50), Schaeferus (Dem. II: 254). Unum post mensem Æschines non dubitavit Thebas proficisci (Dem. F. L. § 127).

2) Dem. F. L. § 22.

3) Dem. F. L. § 23: *ἀναστὰς δ' ἐγὼ ταῦτά τε οὐκ ἔφην εἰδέναι, καὶ ἐπειρώμην τι λέγειν τούτων ὧν εἰς τὴν βουλὴν ἀπήγγειλα.* Cfr ibid. §§ 35, 45.

4) Dem. F. L. § 19: *εἶπε δὲ τοιούτους λόγους καὶ τηλικαῦτα καὶ τοιαῦτ' ἔχοντας ἀγαθὰ ὥσθ' ἅπαντας ὑμᾶς λαβὼν ᾤχετο.* § 35: *ὥσθ' ὑμᾶς ἐκπεπληγμένους τῇ παρουσίᾳ τὸ πρῶτον τῇ τοῦ Φιλίππου, καὶ τούτοις ὀργιζομένους ἐπὶ τῷ μὴ προηγγελκέναι, πρᾳοτέρους γενέσθαι τινός, πάνθ' ὅσ' ἐβούλεσθ' ὑμῖν ἔσεσθαι προσδοκήσαντας, καὶ μηδὲ φωνὴν ἐθέλειν ἀκούειν ἐμοῦ μηδ' ἄλλου μηδενός.* § 23: *οὔτ' ἀκούειν ἠθέλετε οὔτε πιστεύειν ἐβούλεσθε ἄλλα πλὴν ἃ οὗτος ἀπηγγέλκει.*

irrident, cavillantur[1]). Tum ille cedere coactus, "ego vero", inquit, "neque quidquam eorum, quae isti pollicentur, eventurum esse arbitror, et vos oro, Athenienses, si quid acciderit, tum uti memineritis, me hodie vos praemonere frustra voluisse. Ea enim paucis diebus posthac eventura esse arbitror, unde ne vos mihi quidquam tribueritis"! Æschines autem: "Ne tu ipse tibi quidquam inde tribueris"[2]); obtestanteque Demosthene ut, quidquid accidisset, populus bene teneret, nihil sibi fuisse in tota hac re cum Philocrate et Æschine commune, irridens Philocrates: "si magna mihi est", inquit, "cum Demosthene dissensio, quid mirum? Equidem me vini studiosum fateor, illi aquâ nihil carius." Risus toto foro[3]). Tum illi, ne quid suspicionis propter cunctationem remaneret, epistolam Philippi ad legatos de

1) Dem. F. L. § 23: *παραστὰς ὁ μὲν ἔνθεν ὁ δ'ἔνθεν, οὑτοσὶ καὶ Φιλοκράτης, ἐβόων, ἐξέκρουόν με, τελευτῶντες ἐχλεύαζον. ὑμεῖς δ'ἐγελᾶτε.*

2) Dem. F. L. §§ 45, 46: *ἐπειρώμην μὲν ἀντιλέγειν, ὡς δ' ἀκούειν οὐκ ἠθέλετε, ἡσυχίαν ἔσχον, τοσοῦτο μόνον διαμαρτυράμενος (καὶ πρὸς Διὸς καὶ θεῶν ἀναμιμνήσκεσθε) ὅτι ταῦτα οὔτ' οἶδα οὔτε κοινωνῶ, προσέθηκα δὲ ὡς οὐδὲ προσδοκῶ. τραχέως δ' ὑμῶν τῷ μηδὲ προσδοκᾶν σχόντων, "καὶ ὅπως γε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι", ἔφην "ἄν τι τούτων γίγνηται, τούτους ἐπαινέσεσθε καὶ τιμήσετε καὶ στεφανώσετε, ἐμὲ δὲ μή· καὶ μέντοι κἄν τι τῶν ἐναντίων, ὅπως τούτοις ὀργιεῖσθε· ἐγὼ δ' ἀφίσταμαι." "μὴ νῦν" ὑπολαβὼν ἔφη Αἰσχίνης οὑτοσί, "μὴ νῦν ἀφίστασο, ἀλλ' ὅπως τότε μὴ προσποιήσει."* Eodem modo in Or. de Pace §§ 9, 10: *ἡνίκα . . . ἀποδοθήσεσθαι* (vide p. nostr. 123, adn.), *οὐδὲν τούτων οὔτ' ἐξαπατήσας οὔτε σιγήσας ἐγὼ φανήσομαι, ἀλλὰ προειπὼν ὑμῖν, ὡς οἶδ' ὅτι μνημονεύετε, ὅτι ταῦτα οὔτε οἶδα οὔτε προσδοκῶ, νομίζω δὲ τὸν λέγοντα ληρεῖν.* Cfr Dem. Or. Phil. II: § 29: *ἀπὸ τῆς ὑστέρας ἥκων πρεσβείας, . . . αἰσθόμενος φενακιζομένην τὴν πόλιν προύλεγον καὶ διεμαρτυρόμην.*

3) Dem. F. L. § 46: *ἐπαναστὰς δ' ὁ Φιλοκράτης μάλα ὑβριστικῶς "οὐδὲν" ἔφη "θαυμαστὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ ταὐτὰ ἐμοὶ καὶ Δημοσθένει δοκεῖν· οὗτος μὲν γὰρ ὕδωρ, ἐγὼ δὲ οἶνον πίνω." καὶ ὑμεῖς ἐγελᾶτε.* Dem. Or. Phil. II: 29: *λέγοντας ὡς ἐγὼ μὲν ὕδωρ πίνων εἰκότως δύστροπος καὶ δύσκολός εἰμί τις ἄνθρωπος.*

hac re purgandos compositam recitari jusserunt[1]; collaudatoque Philippo Philocrates tulit, *si Phocenses Thebanis Thessalisque templum Delphicum tradere nollent, uti populus Atheniensium, ad id extorquendum, cum Philippo et Thebanis arma consociaret.* Athenienses e renuntiatione legatorum sperantes, deditione facta Phocenses inviolatos fore, haec uti rogasset jusserunt[2].

Dum haec Athenis geruntur, Philippus ad Thermopylas instructo exercitu venit; quas ubi invenit a Phalaeco occupatas — is autem exercitum ibi habebat ad sustinendam primam periculi procellam satis validum — neque propter loci naturam viam in Phocidem armis sibi aperire potuit[3], Phalaecum ad deditionem pellicere co-

---

1) Dem. F. L. § 36. Bene monet Demosthenes, nisi in illa concione Æschines vana renuntiando populum decepisset, unumquemque facile illa epistola pro argumento usum demonstrare potuisse, non esse Philippo credendum [Dem. F. L. § 42]. Nam tantum abfuit ut in ea quidquam polliceretur Philippus (Dem. l. c. § 39), ut diserte negaret, scire se quonam modo Atheniensibus prodesse posset, vel num quid omnino iis promisisset: licet paullo ante nuntiasset, se, si foedus impetrasset, diserte scripturum, quomodo Atheniensibus profuturus esset, et ea tum in rempublicam beneficia collaturum, quibus obmutescerent calumniatores (Dem. F. L. §§ 40, 41). Cfr Lachm. II: 104.

2) Dem. F. L. §§ 47—50; cfr Dem. de Pace § 10: *τὰς ἐλπίδας καὶ φενακισμοὺς, οἷς ἐπαχθέντες ὑμεῖς . . . προεῖσθε Φωκέας.*

Quomodo Æschines ad haec crimina responderit, nunc paucis dicendum est. ''*Incredibile*'', inquit, ''est; *fieri non potuit*, ut Demosthenes a me impediretur, quominus populum praemoneret'' (F. L. §§ 121, sequ.). De hoc bene monuit Brücknerus (p. 190), non posse se videre, quid in tota hac re incredibile esset; et Demostheni *potuisse* accidere, et re vera *accidisse*, ut dicere impediretur, docuit Auctor vitarum dec. orat. p. 848, A. — ''At tantum abest ut tum me reprehenderit (quod fecisset, si quidquam in illa concione commisissem), ut me laudaverit'' (F. L. §§ 121, 123, 178). — Hoc crimen, rebus revictum, verbis confutare nihil attinet; vide pp. nostr. 124, 125; Flath. Gesch. Maced. I: 205.

3) Groteus (XI: 576) scripsit: ''*Phalaecus and the Phokians — having a powerful mercenary force, competent, even unaided, to a*

natus est [1]). At contra Phalaecus rem trahere; nam missi Athenas nuntii exspectatique inde legati, de consiliis Atheniensium renuntiaturi, eum aliquamdiu suspensum et exspectatione erectum tenuere. Redeunt legati; renuntiant Phalaeco, Athenienses, si resisteret, a tergo infesto agmine

---

resistance of some length — were sure to attempt resistance, if any hope of aid were held out to them from Athens." Haec, quae Brücknero (p. 191) quoque placent, vera; nam ipse Philippus putavit, Phocenses pugnam non detrectaturos (Diod. Sic. XVI: 59: *ὁ Φίλιππος παρεσκευάζετο παρατάξει κρῖναι τὸν πόλεμον.* Ibid.: *ἄνευ μάχης ἀνελπίστως καταλύσας τὸν ἱερὸν πόλεμον*). Quod si Athenienses, a legatis de Philippi consiliis praemoniti, opem tulissent, Philippus ab incepto desistere coactus esset; quod ut Demosthenes confirmat (F. L. §§ 320, 322; ibid. § 123: *οὐκ ἐνῆν, μὴ παρακρουσθέντων ὑμῶν, μεῖναι Φιλίππῳ. οὔτε γὰρ ἦν σῖτος ἐν τῇ χώρᾳ, ἀσπόρῳ διὰ τὸν πόλεμον γεγονυίᾳ, οὔθ' ἡ σιτοπομπία δυνατὴ τριήρων οὐσῶν ὑμετέρων ἐκεῖ καὶ τῆς θαλάττης κρατουσῶν, αἵ τε πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν . . . μὴ οὐ πολιορκίᾳ.* Cfr ibid. § 318: *εἰ δὲ μὴ προσδέχοιτο τοὺς Φωκέας συμμάχους οὐκ ἐάσειν ὑμᾶς παρελθεῖν αὐτὸν ἡγεῖτο. ἀλλὰ βοηθήσειν εἰς Πύλας, ὅπερ, εἰ μὴ παρεκρούσθητ', ἐποιήσατ' ἄν· εἰ δὲ τοῦτο γένοιτο οὐκ ἐνεῖναι παρελθεῖν ἐλογίζετο*), sic aliis quoque verisimile videtur. Vide Grot. l. c., Boehn. Forsch. I: 414; Lachm. Gesch. Griech. II: 101; Brückn. p. 177; Voemel. Prolegg. ad Or. de Pace, pp. 270, 271.

1) Dem. F. L. §§ 58, 59: *παρῆν ὁ Φίλιππος ἐν Πύλαις ἤδη καὶ τοῖς Φωκεῦσιν ἐπηγγέλλετο ὧν οὐδὲν ἐπίστευον ἐκεῖνοι. σημεῖον δέ· οὐ γὰρ ἂν δεῦρ' ἧκον ὡς ὑμᾶς. . . . παρῆσαν γὰρ οἱ τῶν Φωκέων πρέσβεις ἐνθάδε, καὶ ἦν αὐτοῖς καὶ τί ἀπαγγελοῦσιν οὗτοι καὶ τί ψηφιεῖσθ' ὑμεῖς ἐπιμελὲς εἰδέναι.* Cfr Æsch. F. L. § 130: *οἱ . . . Φαλαίκου . . . δρομοκήρυκες.* Haec attulisse satis erit ad refellendum Æschinem, qui probatum vult, Phalaecum jam ante illam concionem plus Philippo quam Atheniensibus credidisse (F. L. § 35; cfr pag. nostr. 111, et verba Grotei ibi adscripta). Praeterea rem luculenter demonstravit Demosthenes [l. c. §§ 59, 60] subducta dierum et rerum gestarum ratione. Ostendit, "die sexto decimo Scirophorionis Æschinem promissa illa populo nuntiasse; decretum Atheniensium, eodem die factum, die vicesimo Phalaeco cognitum fuisse; tum demum illum, ope Atheniensium destitutum, ad conditiones descendisse, et abeundi potestatem sibi pepigisse." — Hanc rationem Æschines confictam appellat (F. L. § 131: *ταῦτα ὁ κατήγορος μεμηχάνηται*), confutare ne conatur quidem. Cfr Grot. XI: 581; Winiewsk. Comment. pp. 107, 108.

contra inceptum ejus esse venturos[1]. Tum ille tametsi omnia potiora fide Philippi rebatur, tamen, quia apud Athenienses, si adversaretur, cogendi potestas erat; ut censuerant Athenienses deditionem facit[2]. Sibi suisque militibus abeundi libertatem paciscitur; de Phocensibus pro arbitrio decernendi potestas traditur Philippo. In Phocenses more belli graviter consultum. Terra incolis relinquitur crudelius habitanda, quam si deleta fuisset: "sine urbibus, sine armis, sine equis terram incolerent; in singulos annos magna vectigalia penderent." Urbes ad unam omnes diripiuntur, direptae diruuntur[3]. Tum inter incendia et ruinas multa

1) Dem. F. L. § 53: *οἱ μὲν τοίνυν Φωκεῖς, ὡς τὰ παρ' ὑμῶν ἐπύθοντο ἐκ τῆς ἐκκλησίας καὶ τό τε ψήφισμα τοῦτ' ἔλαβον τὸ τοῦ Φιλοκράτους καὶ τὴν ἀπαγγελίαν ἐπύθοντο τὴν τούτου καὶ τὰς ὑποσχέσεις, κατὰ πάντας τοὺς τρόπους ἀπώλοντο.* Ibid. § 54: *ἦσαν ἄλλοι τινὲς οἳ πάσχειν ὁτιοῦν καὶ ἀμύνεσθαι δεῖν ᾤοντο· ἀλλὰ καὶ τούτους μαλακοὺς ἐποίησε τὸ . . . ταῦτ' εἰ μὴ ποιήσουσιν ὑμᾶς ἐπ' αὐτοὺς ἥξειν, οὓς βοηθήσειν αὐτοῖς ἤλπιζον ἐκεῖνοι.* Cfr §§ 61, 30, 76, 77.

2) Cfr Winiewsk. Comment. p. 82: "*Phalaecus, in Atheniensibus adhuc spem sibi salutis reliquam esse ducens . . . temporum necessitate cedere coactus est; . . . Athenienses cum Philippo conspirare ex decreto illo Philocratis cognosse se arbitrabatur.*" Idem videtur Thirlwallo (V: 367): "*The proceedings at Athens after the second embassy, as they proved that he had nothing to hope for from that quarter, must have decided him. It was now evident, that his only chance of safety lay in timely submission*"; a quo non dissentiunt Groteus (XI: 581) Schaeferus (II: 265), Brücknerus (p. 191, adn. 77; p. 192), Boehneckius (I: 414). Cfr Justin. VIII: 5: "Phocenses . . . *victi necessitate* . . . se dederunt"; Diod. XVI: *Φάλαικος . . . θεωρῶν αὐτὸν οὐκ ἀξιόμαχον ὄντα.*

3) Vide Diod. XVI: 60; Dem. F. L. §§ 81, 141; Æsch. in Ctes. § 80; Boehn. Forsch. I: 420. Quamquam uni urbi, Abis, temperatum est; vide Pausan. X: 3; 2. — Phocensium qui fugisset aut sacrilegii convictus esset, ejus caput uti sacratum esset, sancitum est (Diod. l. c.); multi tamen, salutem fuga petentes, (Dem. F. L. § 80; Æsch. F. L. § 142), Athenis recepti sunt (Dem. de Pace, § 18). — Jus in concilio Amphictyonum suffragia ferendi Phocensibus ademptum est et Philippo traditum (Diod. l. c.; Pausan. X: 3: 3). — Quam animos Thebanorum Thessalorumque sibi conciliaverit Philippus, videre licet e libris Brückneri (pp.

foeda et miserabilia fieri: victor miles trahere, rapere, caedere, nec divini humanive juris quidquam prae impotenti ira servare; victi, liberi parentes, parentes liberos, conjuges mariti, maritos conjuges deflere; luctu et miseriis omnia compleri [1]).

Haec est nobilis belli sacri finis et inter paucas memorata Phocensium clades [2]); ceterum ut Philippo, qui internecione Phocensium Thessalos Thebanosque sibi devinxit, utilissima [3]), sic Atheniensibus, propter Thermopylas postea ab hostibus occupatas [4]) et socios proditos, stragibus exercituum gravior foediorque fugâ [5]). Athenis ubi res

---

203, 204), et Schaeferi (II: 270, 271); cfr (de Thebanis) Dem. F. L. §§ 60, 112, 141, 142; (de Thessalis) Isocr. or. ad Phil. § 20; Dem. Or. Phil. II: § 22, cum adn. Ddrfii; de tota re Dem. de Cor. § 43; Isocr. or. ad Phil. § 74: *ὑπάρχουσι δέ σοι Θετταλοὶ μὲν καὶ Θηβαῖοι καὶ πάντες οἱ τῆς Ἀμφικτυονίας μετέχοντες ἕτοιμοι συνακολουθεῖν.*

1) Justin. VIII: 5: "*caeduntur passim rapiunturque; non liberi parentibus, non conjuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur.* Dem. F. L. § 81: *ὅ γε δῆμος ὁ τῶν Φωκέων οὕτω κακῶς καὶ ἐλεεινῶς διάκειται ὥστε . . . δουλεύειν καὶ τεθνάναι τῷ φόβῳ Θηβαίους καὶ τοὺς Φιλίππου ξένους, οὓς ἀναγκάζονται τρέφειν, διῳκισμένοι κατὰ κώμας καὶ παρῃρημένοι τὰ ὅπλα.* Cfr ibid. § 65: *ὅτε γὰρ νῦν* (ɔ: post tres fere annos; vide Ddorfii Chronol. Dem. p. XCV) *ἐπορευόμεθα εἰς Δελφούς, ἐξ ἀνάγκης ἦν ὁρᾶν ἡμῖν πάντα ταῦτα, οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ, γύναια δὲ καὶ παιδάρια ὀλίγα καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς, οὐδ' ἂν εἷς δύναιτ' ἐφικέσθαι τῷ λόγῳ τῶν ἐκεῖ κακῶν νῦν ὄντων.*

2) Dem. F. L. § 64: *τούτων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δεινότερα οὐ γέγονεν οὐδὲ μείζω πράγματ' ἐφ' ἡμῶν ἐν τοῖς Ἕλλησιν, οἶμαι δ' οὐδ' ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ.*

3) Grot. XI: 591, 593; Schaef. II: 273; Diod. XVI: 60: *Φίλιππος οὐ μόνον δόξαν εὐσεβείας καὶ ἀρετῆς στρατηγικῆς περιπεποιημένος ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν μέλλουσαν αὐτῷ αὔξησιν γενέσθαι μεγάλα προκατασκευασάμενος.*

4) Dem. or. de Epist. Phil. § 4.

5) Dem. Or. Phil. II: § 35: (*Φωκέων καὶ Πυλῶν*) *καταστὰς ἐκεῖνος κύριος τῆς ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν ὁδοῦ . . . γέγονε, καὶ πεποίηχ' ὑμῖν μὴ περὶ τῶν δικαίων μηδ' ὑπὲρ τῶν ἔξω πραγμάτων εἶναι τὴν βουλὴν ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἐν τῇ χώρᾳ καὶ τοῦ πρὸς Ἀττικὴν πολέμου, ὃς λυπήσει*

cognita est, terror atque metus civitatem invasere. Pars dolere Phocensium calamitatem; pars credere, hostem infestis signis ad urbem esse venturum[1]. In Æschinem et Philocratem gravis omnium invidia[2]; "eos falsa renuntiando rem eo adduxisse, ut, perditis Phocensibus, neque spei neque auxilii quidquam Atheniensibus reliquum sit, nisi ad morem belli Peloponnesiaci, liberis, mulieribus, omnibus, quae moveri possint, ex agro in urbem collatis, portis moenibusque sese defendant"[3]. Haec agitantibus legati a Philippo missi; postulant, ut, quae rex cum Thebanis et Thessalis de Phocensibus decreverit, ea Athenienses rata habeant[4]. Suasit idem Æschines; et hercule vix quidquam restabat, quam ut Philippo cederent, quum neque possent aperte resistere Athenienses, quin et Philippum et Thebanos Thessalosque in se concitarent, neque, occupata Phocide, ullum iis restaret propugnaculum, quod dum adorirentur hostes, nova praesidia comparari possent. Sed plebes incredibile memoratu est quam incensa fuerit, quantaque ira consilia Æschinis repudiaverit, magis odio Philippi, qui inter pacem tantam Graeciae cladem intulisset, quam cura reipublicae[5]. At Demosthenes, qui nullam voluisset pacem nisi ita ut Phocenses servarentur, necessitati paren-

---

μὲν ἕκαστον, ἐπειδὰν παρῇ γέγονε δ' ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Cfr Brückn. p. 206.

1) Dem. F. L. §§ 125, 126, 128; Æsch. in Ctes. § 80.

2) Æsch. in Ctes. § 80: *ὑμεῖς δὲ ἐκ τῶν ἀγρῶν φοβηθέντες ἐσκευαγωγήσατε, ἐν ταῖς μεγίσταις δ' ἦσαν αἰτίαις οἱ πρέσβεις κ. τ. λ.* Cfr Dem. F. L. § 125: *ἐκείνοις συνήχθεσθε καὶ αὐτοὶ ἐξεπέπληχθε κ. τ. λ.*

3) Haec omnia, rogante Callisthene, populus jussit; vide Dem. F. L. §§ 86, sequ.; 125; de Cor. §§ 36, 37; Æsch. F. L. § 139; in Ctes. § 80. Cfr Boehn. Forsch. I: 414, sequ.

4) Dem. F. L. § 111; Libanii Argum. ad Dem. Or. de Pace.

5) Dem. F. L. § 113; Dem. de Pace § 24. Cfr Thirlw. VI: 6; Grot. XI: 602; Schaef. II: 279.

dum ratus, inter iras et clamores civium in concionem progressus populum a temerariis belli consiliis revocare; monere, ne irae indulgerent; multa mala inde redundatura ostendere. Sed quoniam in principio operis mei praefatus sum, me legentibus commonstraturum esse virum, quem quo magis civium vel socordia vel perfidia ad vitam a rebus publicis remotam revocare videretur, eo magis sua ipsius erga patriam caritas ad suscipiendam reipublicae salutem excitasset[1]: oportere existimavi, orationem Demosthenis in illa concione habitam paucis perscribere. Quamquam ne tu inde probitatem modo Demosthenis perspicias; id quoque colligas, in tota hac oratorum contentione quid statuendum sit! Nam Demosthenes, quum videret ea mala per proditionem legatorum reipublicae illata, quae ne inferrentur prohibere voluerat, quoniam res ita postularet, ad tuendam eam, quam ipse abominandam putabat, pacem hujuscemodi verbis coram populo disseruit:

"*Multa me dehortantur a rebus vestris curandis, Athenienses: rerum turbatio, pessumdata reipublicae commoda, nulla concordia, ac maxime quod, quum priusquam incipias consulto, et, ubi consulueris, facto opus sit, vos prava consuetudine ducti primum agere soletis, deinde, quomodo agendum fuerit, considerare. Tamen in his tantis difficultatibus progredi et, quid mihi e republica futurum videatur, eloqui, subigit animus*[2]. *Ac piget quidem illa dicere, his proximis annis quoties temerariis multorum consiliis adversatus sim; bellum illud Euboicum, ignominiosum et reipublicae*

1) Vide hujus libri part. prior. pp. 10, 11.

2) Dem. Or. de Pace, §§ 1—3. Fuerunt, qui hanc orationem scriptam, non coram populo habitam putarent (vide Libanii Argum.; Grevii adn. ad Dem. F. L. § 113 — in Ddrfii Dem. Vol. V: p. 520); quorum sententia quomodo refutanda sit, videre licet e Voemelii Dem. Or. Phil. pp. 222, 223; Brückn. Kön. Phil. p. 200; Schaef. Dem. II: 285.

calamitosum, quanta vi quantoque meo periculo dissuaserim; Neoptolemo histrioni commodis Philippi inservienti quanto opere restiterim; revertentibusque e Macedonia legatis nostris, quum pro rebus certis spem falsam domum afferrent, tum me frustra vos praemonuisse, quis est, cui in mentem non veniat?[1]) *Haec, uti demonstrant, me eum esse, qui nihil umquam mea potius quam meorum civium caussa fecerim, sic me invitum commemorasse fateor; sed nunc me, ut commemorarem, necessitas et vestra fortuna perpulit. Quippe ut vos mihi de praesenti rerum statu dicenti fidem habeatis, id nunc agitur, non ut ego propria laude exorner"*[2]).

"*Mihi igitur persuasum est, compositam semel pacem esse servandam; non quod mihi honesta et nostra civitate digna videatur, sed quod mihi magis e republica futurum fuisse videtur, eam non componi, quam nunc, utcumque compositam, turbari*[3]). *Nam et multa amisimus, quae*

1) Dem. l. c. §§ 5—10.

2) Dem. l. c. §§ 11—13; cfr ibid. § 4.

3) Dem. l. c. § 13. — Lachmannus quidem scripsit: "*Demosthenes behauptet, dass Æschines bei dieser Gelegenheit allein unter allen Athenern zu Gunsten der Gesandten gesprochen habe, dass er aber von dem Volke mit Heftigkeit unterbrochen worden sei, und dann mit den tröstenden Worten an die Philippischen Gesandten von der Bühne gestiegen sei, es seien zwar viele Lärmer, aber wenig Soldaten. Indessen die bei dieser Gelegenheit gehaltene und uns vorliegende Rede des Demosthenes über den Frieden ist auch in keinem anderen Sinne gehalten.*" — At differt tamen aliquid! Nam Æschines pacem ut justam et aequam suasit [Dem. F. L. 113; Æsch. F. L. §§ 79 (p. nostr. 50, adn.); cfr ibid. § 163], neque ab encomiis Philippi temperavit (Brückn. p. 200; Grot. XI: 587; cfr Dem. de Pace § 22; quin multis mensibus post cladem Phocensibus illatam dixit Æschines in Or. in Tim. § 169: *Φίλιππον . . . διὰ τὴν τῶν λόγων εὐφημίαν ἐπαινῶ κ. τ. λ.*). Demosthenes contra pacem ignominiosam putabat, neque servandam nisi propterea, quod per proditionem legatorum respublica in summum periculum esset adducta.

si etiamnunc in nostra potestate essent, ad felicem belli eventum multum proficerent; et cum videam conjunctas Amphictyonum copias ad bellum communiter gerendum instructas, equidem quam minimum controversiae inter nos illosque relinqui velim. Peloponnesii nobis irati sunt, Thebani jamdiu inimicissimi; praeterea Thessalia incitata; nec deerit dux moderatorque belli Philippus, ob denegatam sibi concilii Amphictyonici communionem infensus et in belli consilia pronus; quin praeter justam caussam nihil abest ad inferenda arma. Quod ego vos oro atque obsecro, Athenienses, ut animadvertatis, neve temere lacessendo patiamini, destitutam nostram rempublicam illorum furori praemio esse. Nam si pacem turbando communem belli caussam iis dederitis, haud facile quisquam segnis erit; immo arreptis armis in nos irruent, cum ob communem caussam tum singuli ob singulas simultates pugnaturi[1]. *Dicet aliquis: Quid igitur censes? perficienda ea, quae jusserunt? Nihil abjectum, nihil vestro nomine indignum opus est; necesse est prudenter agamus. An multo ante belli avertendi caussa Thebanis Oropum cessimus, Philippo Amphipolin, nunc nos eosdem in rebus minutis cedere pudet? Et quod tunc fecimus, quum contra singulos pugnandum esset, id nunc instante ab omnibus bello cunctamur facere?*[2] *Quod ego moneo ut considerent, qui contumaciae auctores hodie exstiterint; nec Philippi solum timeant potestatem, sed identidem hoc secum reputent, nostram nunc intueri urbem totum Amphictyonum*

1) Dem. de Pace, §§ 18—23.

2) Dem. l. c. § 24; ibid. § 25: *οὐκοῦν εὔηθες καὶ κομιδῇ σχέτλιον, πρὸς ἑκάστους καθ' ἕνα οὕτω προσενηνεγμένους περὶ τῶν οἰκείων καὶ ἀναγκαιοτάτων, πρὸς πάντας περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς νυνὶ πολεμῆσαι.*

concilium; qui bellum suaserit, eum irae et furori illorum materiam esse daturum"[1]). — Haec atque alia hujusmodi dicundo Demosthenes Atheniensibus persuadet, ut, quum legatis Philippi responderent, inter humilitatem et contumaciam temperando, neque ea, quae de Phocensibus decrevisset Philippus, rata haberent, et pacem servando caverent, ne gliscenti jam Amphictyonum invidiae materiam darent.

Pernicies Phocensibus illata cujusnam proditioni tribuenda sit, nunc unusquisque conjectura assequi debet. Fuere tamen, qui Æschinem defendendum censerent; qui num argumentis satis firmis suam sententiam probaverint, id nunc est considerandum. Æschinem secuti afferunt, exhaustas fuisse Phocensium facultates[2]). Primum, si ita fuisset, idcirco iis subveniendum non fuit? Quid? si constat, exercitum iis fuisse ad primum impetum excipiendum satis validum, tamenne quisquam dubitabit, quin futurum fuerit ut ope

1) Dem. l. c. § 24 extr.; cfr §§ 14, 17. Ipsa rogatio, de modo respondendi lata, hodie non exstat. Ita tamen Athenienses respondisse constat, ut neque Philippo adstipularentur (Schaef. II: 284), neque irae indulgendo Amphictyonas in se concitarent (Grot. XI: 593; Brückn. p. 200). Cfr Dem. de Cor. § 43; F. L. § 132.

2) Æsch. F. L. §§ 131, sequ.: *τὰ δ' ἐν Φωκεῦσι διεφθάρη πράγματα πρῶτον μὲν διὰ τὴν τύχην ἣ πάντων ἐστὶ κυρία, ἔπειτα διὰ τὸ μῆκος τοῦ χρόνου καὶ τὸν δεκαετῆ πόλεμον. τὸ γὰρ αὐτὸ ηὔξησέ τε τῶν ἐν Φωκεῦσι τυράννων τὰ πράγματα καὶ καθεῖλε· . . . κατελύθησαν δ' ἀπορίᾳ χρημάτων, ἐπειδὴ κατεμισθοφόρησαν τὰ ὑπάρχοντα. τρίτον δ' αὐτοὺς καθεῖλεν ἡ τοῖς ἀπορουμένοις στρατοπέδοις συνήθως παρακολουθοῦσα στάσις, τέταρτον δ' ἡ Φαλαίκου περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι πραγμάτων ἄγνοια.* — Schlosser. Universalhist. Übers. I: 3: p. 73: "*Über das Schicksal der Phokier muss man besonders Æschines hören . . . in dem was er von den Ursachen des Untergangs der Phokier sagt, kann man ihm unbedingten Glauben schenken, weil die innere Wahrscheinlichkeit seines Zeugnisses für ihn spricht.*" — In eadem sententia est Wesselingius (adn. ad. Diod. Sic. XVI: 59). — Cfr Stechowii Vit. Æsch. p. 48: "*imprimis de Phocensibus posthac querelae exstiterunt legatis. At quid tum faciendum erat Atheniensibus? Res Phocensium lapsae erant.*"

Atheniensium adjuti servarentur, nisi proditio legatorum intervenisset? — "Philippo crediderunt." — O plumbeum pugionem! Nam id ipsum legatis tribuendum, quippe qui falsa de Philippi consiliis renuntiando effecerint, ut Atheniensium verbis graves minae Phocensibus nuntiarentur, ni deditionem facerent. Hic mihi commemorant auxilium Atheniensium a Phocensibus repudiatum [1]). Quod si per triumviros factum est, quid ad rem? Sin per Phalaecum, quid est cur afferatur, quum constet, id multo ante factum fuisse, sub finem vero belli Phalaecum repudiatis Philippi consiliis ad Athenienses inclinasse? Quae res igitur Phocenses furori hostium objecit? Res eorum perditae et desperatae? At ne sic quidem prodendi fuerunt, et a vero abhorret. Fiducia igitur eorum in Philippo, non in Atheniensibus, collocata et socordia Atheniensium, qua salutem Phocensium non curabant, dummodo ipsi pacem sibi impetrarent? [2]) De fide Philippo habita satis est dictum; usque ad ultimum rei discrimen in Atheniensibus Phocenses spem repositam habebant. Socordia porro quae potest esse in iis, qui tantum abest ut salutem Phocensium spe pacis proposita nihil curaverint, ut negaverint se pacem inituros nisi ita, ut saluti Phocensium caveretur? Illud profecto est: Legati vana renuntiando effecerunt, ut Atheniensium populus, quos contra Philippum munitos

---

1) Æsch. F. L. § 135 (vide pag. nostr. 111, adn.). Schlosserus, quum de hac re commemoravit, scripsit (l. c. pp. 72, 73): "auf *diese* Weise blieben die Phokier vereinzelt." — Idem placet Stechowio (l. c. pp. 48, 49); a quo non dissentit Lachmannus, qui haec scripsit (Gesch. Griechenl. II: 103): "*Phaläkos zeigte Philippos mehr Vertrauen als den Athenern und machte keine*" (!) — at vide pag. nostr. 127, adn. 1 — "*Schwierigkeit . . . die von ihm besetzten Ortschaften ihm alsbald zu übergeben.*" — Eodem modo Shilleto (Dem. or. F. L. p. 47, § 81: "*Æschines imputes blame to the Phokians, and especially to their leader Phalaecus, and apparently with justice.*"

2) Vide Stechow. p. 49.

volebat, iis ediceret, ut fidei Philippi se committerent. At hoc ipsum Phocensibus fuit calamitosum; jure igitur de pernicie Phocensium accusandi legati! An est, quod contra dicere liceat?

'Immo vero", inquit Æschines, "est; nam Philippus Phocenses deditione facta servare voluit; prohibuit Demosthenes, homo nefarius et in proditione versatus" [1]. — Audio; nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat; nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse et inepta: 'omnibus persuasum erat, Philippum Thebanos coërciturum esse, Phocenses servaturum" [2]: quippe; id enim tu ipse, missus a populo ad cognoscenda Philippi consilia, Athenas redux populo inculcaveras; — "in fatis erat, ut perirent Phocenses" [3]: at tu longe alia fata eos manere, paullo ante cecineras, bonus scilicet fatidicus! Verum haec tu quoque intelligis levia esse; illud, quod coepimus, videamus! "Philippum Phocenses servare prohibuit Demosthenes." Planum fac! "Venerunt", inquit, "litterae Philippi, quibus ille hortabatur, ut Athenienses omnibus copiis egressi secum arma consociarent; si egressi essent Athenienses, Phocenses Philippus auxilio Atheniensium usus servasset; obtinuit Demosthenes, ne egrederentur; Philippus igitur, ope Atheniensium destitutus, inter iras et preces Thebanorum Thessalorumque Phocenses perdere coactus est" [4]. — In hoc quam multa sint vulnera mox apparebit.

1) Vide Æsch. F. L. §§ 137—141.

2) Æsch. F. L. § 136: *Ἀλλ' οὗτος μόνος τὸ συμβησόμενον ἠγνόει; ὑμεῖς δὲ αὐτοὶ δημοσίᾳ πῶς διέκεισθε; οὐ πάντες προσεδοκᾶτε Φίλιππον ταπεινώσειν Θηβαίους;* at Demosthenem alia exspectasse ex oratione ejus in senatu habita (cfr p. nostr. 121) videre licet. Stechowio (p. 49) satis se defendisse videtur Æschines!

3) Æsch. F. L. §§ 118, 131.

4) Æsch. F. L. §§ 137, 138: *οὐκ ἔπεμψεν ἐπιστολὴν ὁ Φίλιππος ἐξιέναι πάσῃ τῇ δυνάμει βοηθήσοντας τοῖς δικαίοις; οἱ δὲ νῦν πολεμικοὶ*

"Litteras misit Philippus." Quid? his litteris quid spectabat? Opinor, ut auxilium Atheniensium ad Phocenses servandos sibi compararet. Si hoc spectavit, cur egressis demum Thebanis totaque re in summum discrimen adducta Athenienses evocavit, non statim cum e Macedonia castra moveret?[1]) Non commodum fuit jam tum evocare? Immo tum multo aptius! Fatuus igitur et imprudens Philippus? At quis callidior illo? Quid ergo erat? Dolus et simulatio, quo aut, Atheniensibus domi manentibus, ad arbitrium omnia gereret, aut, si egrederentur Athenienses, Phocensibus certe auxilii spem praecideret, ipse contra Athenienses Thebanorum auxilio satis munitus[2]). Permulta sunt, unde perspicere liceat, neque Philippum Athenienses tum demum evocantem sincere egisse, neque, si tum egressi essent Athenienses, id quidquam fuisse Phocensibus profuturum; verum haec missa facio, praesertim quum rem multis locis satis explicaverit Demosthenes[3]). Sed tamen tu, Æschine, si egredi tum profuturum

---

καὶ τὴν εἰρήνην ἀνανδρίαν καλοῦντες οὐ διεκώλυσαν ὑμᾶς ἐξελθεῖν εἰρήνης καὶ συμμαχίας ὑμῖν γεγενημένης. δεδιέναι φάσκοντες, μὴ τοὺς στρατιώτας ὑμῶν ὁμήρους λάβῃ Φίλιππος; πότερον οὖν ἐγὼ τοὺς προγόνους ἐκώλυσα τὸν δῆμον μιμεῖσθαι, ἢ σὺ καὶ οἱ μετὰ σοῦ συνεστηκότες ἐπὶ τὰ κοινά; — Cfr ibid. §§ 140, 141: *τοιγάρτοι Θηβαίων μὲν παρακαθημένων καὶ δεομένων, τῆς δ' ἡμετέρας πόλεως διὰ σὲ τεθορυβημένης καὶ τῶν Ἀθηναίων ὁπλιτῶν οὐ παρόντων, Θετταλῶν δὲ Θηβαίοις προσθεμένων . . . ὑπολειπομένης δ' ἔχθρας φανερᾶς Φιλίππῳ πρὸς Θηβαίους καὶ Θετταλούς, τότε ἀπώλοντο αἱ πράξεις οὐ δι' ἐμέ, ἀλλὰ διὰ τὴν σὴν προδοσίαν καὶ τὴν πρὸς Θηβαίους προξενίαν.* Cfr Stechowii Vit. Æsch. p. 52: "*Rex cum ab Atheniensibus destitutum se vidisset, invitus quidem, tamen necessitate cogente, Thebanos sibi adjunxit.*"

1) Æsch. F. L. § 137: *Θηβαῖοι δ' οὐκ ἐξεληλύθησαν πανδημεὶ, ἀπιστοῦντες τοῖς πράγμασιν; ὑμῖν δὲ ταῦθ' ὁρῶν οὐκ ἔπεμψεν ἐπιστολὴν Φίλιππος κ. τ. λ.*

2) Cfr Grot. XI: 577; Schaef. II: 259; Frank. p. 32; Brückn. pp. 181, 182.

3) Dem. F. L. §§ 42, 43; 51, 52; Dem. Phil. II: §§ 14—17; Dem. de Pace, § 22.

putabas, cur non id suasisti? Si non putabas, cur calumniaris? Cum hoc modo accusas, nonne hoc palam dicis: "miserum me, qui, quum potuerim Phocenses servare, id omiserim"? Ita tamen te audacem esse oportebat, ut tuam ipsius famam et existimationem putares aliquid valere oportere!

Quod vero ad culpam a se avertendam dixit Æschines, in Phocenses non ad suam voluntatem sed ad arbitrium Philippi consultum esse, in eo quidem non prorsus mentitur, sed, quod maximum est, culpam fatetur. "Philippi", inquit, "erat res gerere; meum erat tantummodo verba facere" [1]. — At neque de Philippi rebus gestis quaeretur; est enim satis apertum, tu quonam modo in legatione renuntianda verba feceris; quonam modo, occupatis etiamtum a Phalaeco Thermopylis, pestifera tua facundia Philippo viam in Phocidem paraverit! — "Non e mea voluntate res gesta est, sed e Philippi, quippe cui rerum pro arbitrio gerendarum potestas esset" [2]. — Fateor, et addo etiam, quod illam potestatem

1) Æsch. F. L. § 118: *ἡ μὲν τύχη καὶ Φίλιππος ἦσαν τῶν ἔργων κύριοι, ἐγὼ δὲ τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας καὶ τῶν λόγων . . . ἀπέβη δὲ οὐχ ὡς ἡμεῖς ηὐχόμεθα, ἀλλ' ὡς Φίλιππος ἔπραξε.* Quem igitur paullo ante docuit coactum fuisse ut Phocenses perderet, eum pro arbitrio in Phocenses consuluisse hic affirmat. Praedicandam constantiam! — Cfr ibid. § 130; ibid. § 178: *ἐμὲ δ' οὐχ ὡς πρεσβευτὴν κρίνουσιν, ἀλλ' ὡς ἐγγυητὴν Φιλίππου καὶ τῆς εἰρήνης· καὶ τὸν τῶν λόγων κύριον τὰς τῶν ἔργων προσδοκίας ἀπαιτοῦσι.* At Demosthenes dixerat disjuncte: *μὴ δὴ ταῦτα λέγειν αὐτὸν ἐᾶτε, ἀλλ' ὡς οὐκ ἀπολώλασι Φωκεῖς δεικνύναι, ἢ ὡς οὐχ ὑπέσχετο σώσειν αὐτοὺς Φίλιππον. τοῦτο γάρ εἰσι πρεσβείας εὔθυναι, τί πέπρακται; τί ἀπήγγειλας; εἰ μὲν ἀληθῆ, σῶζου· εἰ δὲ ψευδῆ, δίκην δός!* (F. L. § 82). Cfr Dem. F. L. §§ 8, 30, 94—101, 178, 333.

2) Lachmannus scripsit (l. c. p. 105): *(Demosthenes sagt, dass) wenn die Athener den Phokiern nur eine kleine Hoffnung gezeigt hätten, so würden sie sich gehalten haben, denn die Makedonier würden . . . sich nicht lange in dem Lande haben behaupten können. Æschines widerspricht dem, und, wie es uns scheint, mit vollem Rechte. Erstens befanden sich die Athener und Phokier seit längerer Zeit in sehr gespanntem Verhältnisse, dann würde, eben wegen seiner Schwäche, nach Einnah-*

Philippus nactus sit, id tibi esse crimini dandum. Quid ergo adfers, quo te defendas? — "Phalaecus quae eventura essent ignorans, ad conditiones descendit"[1]). — Nec mirum, quippe qui a te et Philocrate de Philippi consiliis celaretur et ad deditionem cogeretur! Eodem igitur revolveris, neque quidquam potes dicere, ut ne videaris, alteram legationem cunctanter administrando, perfide renuntiando, Phocenses pessumdedisse. "Nihil", inquit, "in administranda renuntiandave illa legatione commisi: nam me ex illa legatione redeuntem Demosthenes laudavit, quod e tabulis publicis videre licet"[2]).

---

me der Thermopylen, das kleine Phokierland . . . den Angriff nicht lange ausgehalten haben." — "Nach Einnahme der Thermopylen"! At quod hujus rei potestas Philippo data est, propter id ipsum legati vituperandi! Cfr Dem. F. L. §§ 30, 53, 54; 320—325.

1) Æsch. F. L. § 132: (*καθεῖλεν τοὺς Φωκέας*) *ἡ Φαλαίκου περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι πραγμάτων ἄγνοια.* Ibid. § 135: *ἀκούετε, ὦ Ἀθηναῖοι κ. τ. λ.* (vide pag. nostr. 111, adn.); cfr § 140: *Φαλαίκου . . . ἀπεληλυθότος ὑποσπόνδου . . . τότε ἀπώλοντο αἱ πράξεις, οὐ δι' ἐμέ.*

2) Firmissimum ad suam innocentiam probandam argumentum esse putavit Demosthenes, quod ipse post alteram legationem et in Senatu et in concione populum de Philippi consiliis et de legatorum perfidia praemonuisset (F. L. §§ 33, 207, 223). Idem putavit esse ad suam in accusando fidem comprobandam aptissimum; "quippe se non multo post res gestas calumniari, sed recenti quoque re idem de legatis dixisse (F. L. §§ 25, 31), neque umquam legatos laudasse nisi post *priorem* legationem, quum nondum quidquam commisissent" (F. L. §§ 234, 235). Haec omnia Demosthenes (ll. cc.) coram judicibus explicavit; praeterea commemoravit de sua cum Æschine in concione post alteram legationem controversia (vide pag. nostr. 125); recitavit senatus auctoritatem, qua nulla tum laus legatis daretur (vide pp. nostr. 121, 122). Quamquam vel sic timuit, ne Æschines simularet, esse se ex *altera* quoque legatione redeuntem a Demosthene laudatum; quare hoc modo judices monuit Demosthenes (F. L. §§ 235, 236): *ταῦτα δὴ παρέξεται νῦν οὗτος λέγων ὡς αὐτὸς ἐπῄνεσεν ἡμᾶς . . . τὸ πότε οὐ διορίζων. ἔστι δὲ ταῦτα πρὸ τοῦ τὴν πόλιν ἠδικῆσθαί τι καὶ φανεροὺς τούτους πεπρακότας αὑτοὺς γενέσθαι, ὅτ' . . . οὐδέπω οὔθ' οὗτος συνειρῶν δῆλος ἦν τῷ Φιλοκράτει οὔτ' ἐκεῖνος τοιαῦτα γράφων. ἂν δὴ ταῦτα λέγῃ, μέμνησθε τοὺς χρόνους ὅτι τῶν ἀδικημάτων εἰσὶ πρότεροι. μετὰ ταῦτα δὲ οὐδὲν ἐμοὶ πρὸς τούτους οἰκεῖον οὐδὲ κοινὸν γέγονεν.* — Haec omnia quum Demo-

— Utinam hoc verum esset! Sed interdum mihi videris, Æschine, monere voluisse, tibi de tabulis publicis loquenti nullam omnino esse fidem tribuendam. Quid ais? Demosthenes te laudavit? Ubi? Quando? In senatu? At reprehendit! An coram populo? Ubi tantum abest ut te laudaverit, ut dixerit, te falsa renuntiasse. Omitto, quantum impudentiae testimonium hic dederis; neque enim est ab homine, numquam salutem nisi in mendaciis petenti, postulandus pudor. Sed nihil de pudore; tibi certe confitendum est, non esse cur quis in hac re ultra quidquam ex te audire desideret, cum nihil respondeas, quin aut culpam fatearis, aut mendacii crimine tenearis.

His expositis satis docuisse videor, cladem Phocensibus illatam Æschini et Philocrati esse tribuendam, quippe qui legationem segniter administraverint, perfide renuntiaverint, Demosthenemque impediverint populum praemonendo saluti Phocensium consulere. Restat ut consideremus, haec facinora num admiserint mercede a Philippo corrupti; quod multis locis Demosthenes confirmat. Ac jam illa omitto, quae a me de Æschinis Philocratisque societate multis locis dicta sunt; mitto facundiam Æschinis, ad defendendam Philocratis rogationem in altera illa concione adhibitam; non commemorabo Æschinis Philocratisque in altera legatione cum Demosthene discordiam, non modo a Demosthene sed ab Æschine ipso commemoratam; non dicam ne illud quidem, geminam illam Æschinis Philocratisque audaciam, qua Demosthenem vera renuntiare prohibuerint, ejusmodi esse,

---

sthenes dixisset, Æschines (F. L. § 121) respondit: *Δημοσθένης τοίνυν ἥκων ἀπὸ τῆς ὑστέρας πρεσβείας, ἐν ᾗ φησι τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα ἀνατραπῆναι, ἐν τῷ ψηφίσματι ἡμᾶς ἐπῄνει.* Ibid. § 123: *καίτοι τίς ἂν αὐτῷ καλλίων καιρὸς ἐγένετο ἢ τότ' ἐξελέγχειν εὐθύς, εἴ τι τὴν πόλιν ἐξηπάτων;* cfr § 178: *τὸν αὐτὸν δὲ ἐν μὲν τοῖς ψηφίσμασιν ἐπαινέτην δείκνυμι, ἐν δὲ τῷ δικαστηρίῳ κατηγόρῳ κέχρημαι.* Vides impudentiam!

inde ut appareat, quam arcte inter se conjuncti fuerint Æschines et Philocrates. Mitto, inquam, haec omnia; illud tenebo, quod confessus est Æschines: se et Philocratem abominabilem illam pacem fecisse, Philocratemque ob operam in facienda pace Philippo navatam mercedem accepisse[1]); tantumque in hac re suspicionis esse affirmabo, ut ipsis legentibus sine mea argumentatione conjecturam facere permittam, justene an injuste Æschinem accusaverit de mercede accepta Demosthenes. An quem sceleris societatem inire non puduit, is in societatem praemii venire veritus est? — "Conjectura est." — Judex esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non movetur. Philippum novimus; consuetudinem ejus tenemus, quos putaret sibi auxilio futuros, eos quam enixe studuerit mercede corrumpere. Quid igitur? Philocratem et Neoptolemum, id genus homines, putemus eum sibi devincire studuisse, Æschinem repudiasse? Nisi forte existimandum est, quod facinus capitis poena sancitum esset, quodque nemo ut susciperet nisi mercede proposita adduci potuerit, id Æschinem gratiis suscepisse.

Quo loco mihi id non praetereundum videtur, quod de Æschine bene monuit Groteus: nullam ab eo allatam esse caussam, cur tot tantaque scelera admisisset[2]). Coram populo

---

1) Æsch. Or. in Tim. § 174: (*Δημοσθένης*) *παρεμβάλλων τὰς ἐμὰς δημηγορίας καὶ ψέγων τὴν εἰρήνην τὴν δι' ἐμοῦ καὶ Φιλοκράτους γεγενημένην.* Nimirum haec oratio habita est anno 345 (Clint. Fast. Hell. ed. Krüg. p. 151), statim post pacem factam, quum nondum proditionis accusatus damnatusque esset Philocrates (Schaef. III: 332, 333), neque illa pax ejusque auctores tantam in invidiam venissent. Contra in oratione Ctesiphontea quum Philocratem proditorem et a Philippo corruptum fuisse et omnibus cognitum esset, et Æschines ipse dixisset (in Ctes. § 81), tum suam personam Demostheni impositam voluit, eumque Philocratis socium identidem appellavit (§§ 62, 63, 64, 72, 73, 79, 80), ipse — ut decuit histrionem — partes Demosthenis suscipiens et *ψέγων τὴν εἰρήνην, τὴν δι' Αἰσχίνου καὶ Φιλοκράτους γεγενημένην!*

2) Grot. XI: 594, 595, 596, 597.

commoda Philippi defendit, socios, quos ut Athenienses Philippo subigendos concederent frustra hortatus erat, destituit, prodidit, perdidit; jussa ac decreta populi neglexit, sprevit, migravit; suos ipsius cives falsa renuntiando decepit, fefellit, circumvenit. Et his tot criminibus convictus corruptelae suspicione liberandus est, cui etiamsi id quod defendit velim concedere, tamen ipsa illa defensio non minus perniciosa esse debeat, quam mea accusatio? Quid enim — ut ad singula veniamus — de cunctatione defendere potest? "Ut cunctarer, Philippus oravit." Quis id tibi permisit? quo jure Philippo morigeratus es? An in populi decreto non satis dilucide scriptum erat, ut quam citissime proficiscereris? Tacet. — Ne multa: est quiddam, quod occultatur: quod quo studiosius ab isto opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet. Deinde cur pacis leges mutasti, ita ut Phocenses et Halenses e pace excluderentur? Non tibi cognitum erat, populum illa conditione pacem inire nolle? At sciebas[1])! An deerat, qui hoc te moneret? At aderat! Quae quum ita sint, quaero ex te, cur tu et Philocrates pacis leges mutaveritis. Philocrates, nonne quod a Philippo corruptus fuit? Fateris. Quid igitur de te statuendum? Sudas, palles, conturbaris. Finge saltem aliquid, quo suspicionem a te removeas! Taces[2]). Ego sic existimo: qui de

---

1) Nam in duabus illis concionibus (vide pag. nostr. 46—51) id unicuique manifestum factum erat. Hoc oblitus videtur Stechowius, qui scripsit (Vit. Æsch. p. 48): "*Non sub aliis conditionibus* (= nisi Phocenses e pace excluderentur) *pax legatis Atheniensibus impetrari potuit.*" — At tum id ipsum festinanter domum renuntiandum fuit, non populi decretum migrandum! Stechowius (l. c.) addit: "*neque alienae hae conditiones atque inopinatae videri tum poterant.*" — At videbantur!

2) Cfr Thirlw, V: 373, adn. 1; Schaef. II: 381, 383. Quum Demosthenes multis modis demonstrasset, verisimile esse, Æschinem fuisse a Philippo corruptum (F. L. §§ 166—168; 102—110; 111—113; 116—119; 128, 129; 145, 146; 301—308), Æschines aut nihil respondit, aut nonnulla

mercede accepta accusatus sui purgandi caussa mendacia confingat, eum aliquam saltem sibi proponere salutis spem; qui taceat, eum projecta salutis spe, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de corruptela confiteri.

Age nunc inspiciamus praeclaram Æschinis coram populo legationis renuntiationem! Tot tantaque maleficia hic inveniuntur, ut magis propter reum quam propter rem ipsam credibilia videantur. De Phocensibus e pace exclusis Athenienses celavit; falsa de Philippo renuntiavit; prohibuit ne Demosthenes populum de rerum statu edoceret, dictitans, quae de Philippo renuntiasset, ea se non modo polliceri sed etiam in se recipere. Par fuit in illa concione Philocratis Æschinisque improbitas, similis perfidia, eadem impudentia, gemina audacia; quod quum ita sit, quis non jure suspicetur, inter illa tot maleficia corruptelae quoque scelus latere, praesertim quum id de Philocrate constet, neque de Æschine possit ulla alia afferri caussa, cur tot scelera admiserit? Nam quod aiunt, credidisse Æschinem Philippo, putasseque eum, Philippum pace facta Atheniensibus multum profuturum [1]), primum quaero: unde illa ejus de Philippo mutata sententia? Nam paullo ante Philippum appellaverat Æschines dolosum, fraudulentum libertatique Graecorum inimicissimum. An postea ulla dederat Philippus probitatis et fidei documenta, quibus adduci posset Æschines ad sententiam mutandam? Nihil minus; nam triginta urbes Chalcidicae incensae et dirutae, eversa Olynthus, epistolae aliae aliter a Philippo ad Athenienses scriptae satis significabant ingenium ejus mutabile et fraudis perjuriique plenum [2]). Sed fac Philippo crediderit

quidem, sed quae nullam haberent vim ad Demosthenem refellendum. Vide enim Æsch. F. L. §§ 145, 146; 152, 153; 164.

1) Cfr Weisk. de Hyperb. I: pp. 32, sequ.

2) Vide Brückn. p. 188; Lachm. II: 106; Schaef. II: 250; Grot. XI:

Æschines, — vide quid largiar! — num inde sibi comparabit potestatem populiscita impune migrandi, senatus populique auctoritatem impune spernendi? Non est ita, profecto; sed Æschines, quem ita saltem credulum esse oportuerit, ut speciem boni viri tueretur, mercede adductus haec facinora etiam cum proditionis suspicione suscepit; suamque ipsius famam ille tantidem, quanti senatus auctoritatem et salutem Phocensium fecit[1]).

Quid? quod etiam post pacem factam Philippi caussam semper defendit Æschines, quid tandem significat, nisi Æschinem fuisse a Philippo corruptum, non deceptum? Nam quum multa sint, unde suspicari liceat, Æschinem fuisse corruptum, tamen, si post pacem factam a defensione Philippi temperasset, quia errare humanum est, fortasse ei ita ignoscendum fuit. Homo autem omnium Philippi amantissimus, qui non modo post pacem factam semper caussam Philippi defendit, sed etiam in judicio ausus est dicere, ipsa illa pace nihil mali illatum esse civitati Atheniensium, is non apertissime studium et corruptelam ipse profitetur? [2]). Omnia alia praetermittam; unum commemorabo, unde de tota re conjecturam facere liceat. Est hercule portentum atque monstrum, esse aliquem humana specie et figura,

568, 569, 595; cfr Isocr. Or. ad Phil. §§ 73—80, unde videre licet, quam suspectus omnibus fuerit illo tempore Philippus.

1) E prima nostra in pag. 51 adnotatione videre licet, quanti in altera legatione ad legatorum existimationem interfuerit, ut, nisi Phocenses servatum iri diserte polliceretur Philippus, id domum quam citissime renuntiarent. At licet ejusmodi quidquam neque Philippus tum polliceretur [cfr Thirlw. V: 364], neque legati ejus antea polliciti essent (Dem. F. L. § 321; cfr pag. nostr. 50, adn. 2), sed Æschines Philocratesque et Phocenses a rege e pace exclusos vidissent, et a sociis Philippi audissent, eum cum exercitu, quem tum instrueret, *Phocensium hostibus*, non Phocensibus, opem laturum (Æsch. F. L. § 136, extr.); — tamen non modo domum proficisci cunctati sunt, sed domum aliquando reduces renuntiarunt, Philippum *Phocensibus*, non Phocensium hostibus, opem laturum.

2) Vide Æsch. F. L. § 163; cfr ibid. §§ 79 (pag. nostr. 50, adn.) et 183; vide insuper § 163 (pag. nostr. 145, adn. 2).

qui tam sui negligens sit, ut, a quo deceptus in capitis periculum venerit, ei etiam postea suo cum periculo semper adsit, faveat, opituletur; est inauditum neque ulla cogitatione comprehendendum, quo quis apud cives in proditionis suspicionem venerit, id eum ut beneficium diis propitiis acceptum referre, nisi alios inde tulerit fructus, quibus offensionem civium possit compensare. At Æschines non modo post cladem Phocensibus illatam ausus est coram judicibus Philippum propter laeta ejus promissa laudare[1]); devictis Phocensibus quum Philippus ad celebrandam victoriam diem festum magno cum apparatu ageret, idem iste a se impetravit, ut ad regem profectus et convivio interesset et diis pro victoria Philippo data gratias ageret[2]). Quamquam non est in hoc quod mireris! Nam male gestae legationis accusatus quum de vita periclitaretur Æschines, ne uno quidem loco in sua defensione ausus est ad se purgandum dicere, fuisse se a Philippo deceptum, nedum ut dixerit, Philippum sibi quidquam de Phocensibus promisisse, quod non persolveret[3]); credo, ne eum reprehenderet, a quo erat pro-

---

1) Vide Æsch. Or. in Tim. § 169: *Φίλιππον δὲ νῦν μὲν διὰ τὴν τῶν λόγων εὐφημίαν ἐπαινῶ· ἐὰν δ' ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς πρὸς ἡμᾶς ἔργοις γένηται, οἷος νῦν ἐστιν ἐν τοῖς ἐπαγγέλμασιν, ἀσφαλῆ καὶ ῥᾴδιον τὸν καθ' αὑτοῦ ποιήσει ἔπαινον.* Haec de Philippo dixit post cladem Phocensibus illatam!

2) Hoc commemoravit Demosthenes (F. L. 128–131); respondit Æschines: *τοῦτ' ἔφη Δημοσθένης, οὐ τῶν ἐκεῖ παρόντων οὐδένα παρασχόμενος μάρτυρα* — licet paullo ante Demosthenes (l. c.) coram judicibus ejusmodi testimonia recitasset! Deinde, quae ejus fuit sagacitas, addidit: *οὐκοῦν εἰ μὲν ἐσίγων, ψευδῆ μου κατηγορεῖς· εἰ δὲ ὀρθῆς ἡμῖν τῆς πατρίδος οὔσης καὶ τῶν πολιτῶν κοινῇ μηδὲν ἀτυχούντων(!) συνῇδον . . . τὸν παιᾶνα, ἡνίκα ὁ θεὸς μὲν ἐτιμᾶτο, Ἀθηναῖοι δὲ μηδὲν ἠδόξουν, εὐσέβουν, ἀλλ' οὐκ ἠδίκουν* (F. L. § 163). Quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum fateri!

3) Tamen nihil potuit Æschini aptius esse ad se de iis purgandum, quae Demosthenes in or. F. L. § 321 (pag. nostr. 50, adn. 2) ei crimini dederat; cfr Dem. F. L. §§ 102—110.

pter navatam operam magnis praediis[1]) vel — ut res indicat — praemiis ornatus.

Dolebant Athenienses — jam enim concludatur oratio — pacem Philocrateam magno cum reipublicae detrimento factam. Nihil ad Demosthenem; nam bellum antea enixe suaserat, neque, quum ad pacem inclinassent civium animi, suam operam in pace concilianda ita collocavit, ut non saluti reipublicae consulere studeret; sed optimis Demosthenis consiliis venditam emancipatamque facundiam opposuit Æschines, omniaque is perfecit, quae ne fieri possent, impedire studuit Demosthenes. Desiderabant Athenienses Cersobleptem utilissimum socium civitati ereptum: servatum voluit Demosthenes; eripuit, quantum in illo fuit, Æschines. Phocensium civitatem, quam servari Atheniensium magni interfuit, maximis cladibus afflicta est: servatam voluit Demosthenes; affiixit Æschines, qui, ut in seminibus est caussa arborum et stirpium, sic omnium malorum semen et caussa fuit. Atque haec hactenus. Aperta est enim res; nisi forte de oratoribus dubitandum est, uter utrum justius accusaverit: is, qui dona Philippi acceperit, an is, qui repudiaverit[2]); is, qui Philocrati suffragatus sit, an is, qui adversatus; is, qui, culpae sibi conscius, ne rationes redderet recusaverit, an is, qui bonae mentis fiduciâ ad rationes reddendas fuerit paratus[3]); is, qui in judicio ipse secum pugnaverit, mendacia confinxerit, decreta interpolaverit, an is, qui sibi constiterit, ad veritatem dixerit, decreta cum fide recitaverit; postremo, id quod ad rem mea sententia plurimum pertinet: is, qui propter suam operam in concilianda pace collocatam in amicitiam Philippi venerit, an is, qui in odium.

1) Hoc commemoravit et testimoniis comprobavit Demosthenes (F. L. §§ 145, 146). Æschines quae responderet non habuit.

2) Dem. F. L. §§ 166—168; 222, 223.

3) Dem. F. L. §§ 207, 209, 210: 211—213.